quid reliquarum caussarum dissimilitudo possit, intelligam: errorum et scientiae, virtutis et vitiorum quandam similitudinem et affinitatem agnoscam: ubi denique similia omnia ex tanta varietate collegero, historiam quandam ingenii humani mihi exaedificabo.: postremo ipsa historicorum oratio, magnitudine atque ubertate ingenii eorum quorum memoriam recolunt, elata et locupletata, quantam et sublimitatis admirationem, et jucunditatis delectationem habebit? His igitur de caussis mea et studii contentio, et rerum exspectatio maxima erat. Sed ausimne dicere, quantum ista me spes mea fefellerit? Pro magno illo et splendido apparatu, nihil nisi philosophorum vitas jejune scriptas, et meras opiniones enumeratas deprehendi. Erant ista sane, quae inter alia exspectarem: sed exspectabam et plura, et alio modo dicta. Caussas igitur quaesivi, quibus factum est, ut quod genus lectionis cogitando mihi jucundissimum finxissem, id experiendo maxime taediosum invenerim.

Ac primum quidem intellexi, quae ad exstructionem tanti aedificii materies comparanda, et quae copiae colligendae erant, eas

adhuc

adhuc deesse. Has copias dico temporum accuratiorem descriptionem; rerum gestarum in civitatibus Graeciae, non modo iis in quibus philosophorum plerique inter cives adsciti docuerunt, sed etiam illis in quibus nati et educati sunt, diligentem expositionem; omnium denique narrationum de philosophi cujusque vel vita, vel doctrina, in veterum libris dispersarum, collectionem. Harum rerum inopia fit, ut etiam artium historiam, quanquam a viro summi ingenii et elegantissimae doctrinae excultam, laborare adhuc passim videamus. Non enim nec acutissimum ingenium, nec probatissimus elegantiae sensus, possunt non aliquando in errorem induci, ubi non firmis rerum factorumque monumentis insistunt. Igitur antequam quisquam ad philosophiae historiam scribendam accederet, vellem ex omnibus scriptoribus antiquis haberet excerpta et in unum corpus coacta ea, quae ullo modo philosophi cujusque disciplinam illustrarent: qualia multa cum inveniantur ibi, ubi de aliis rebus agitur, vix animadvertuntur ab eo, qui non hac ipsa de caussa, ut illa quaereret, ad legendum accessit.

Huic

Huic excerptorum corpori quae adjungenda eſt aetatum, populorum, urbium hiſtoria, eam diligentius et ſubtilius quam huc usque factum eſſet, judicavi tractandam eſſe, ut quid ad civitatis cujusque ingenia vel excolenda, vel depravanda attulerint illius vel forma, vel res geſtae, vel mores et vivendi ratio, intelligeretur. Sed quia tam in philoſophorum vitis, tum in rerumpublicarum hiſtoriis, ut accuratiſſime omnia perveſtigentur, fieri tamen poteſt, ut vel tempore interciderit, vel ſcriptorum negligentia propagata non ſit memoria multarum rerum, quas noſſe ad reliquarum inter ſe connexionem et progreſſionem intelligendam opus ſit: conjectura et argumentatione res tales debent ſuppleri. Quin etſi iſta perquiſitione nihil novi eruatur, firmiora tamen erunt quae noveris, et arctius inter ſe conjuncta.

Praeter hos duplicis generis commentarios, qui magis ad vitam quam ad diſciplinam philoſophorum cognoſcendam pertinerent, exiſtimavi eorum qui ſui memoriam ipſi ſcriptis ad nos propagaſſent, libros in compendium redigendos eſſe, ita quidem ut appareret, quod

cujus-

cujusque fuisset scribendi consilium, qui sententiarum inter se nexus, qui orationis color et ornatus, quae denique ingenii propria vis. Quod si factum jam esset, potuisset inde corpus historiae condi longe praestantius iis omnibus quibus nunc utimur, quorum vel ipse numerus studiosis est impedimento. Accidit enim fere, ut ad quorum notitiam tot pararii nos velint perducere, ii nobis incogniti maneant, cum istorum quasi stipatorum multitudo nos a regibus ipsis arceat.

His igitur rebus effectis, poterit historia qualem volumus, conscribi ab eo qui attulerit ingenium ita quasi patens illud et amplum, ut comprehendere et complecti cogitatione possit rerum gestarum longam seriem; ita porro perspicax, ut illarum consecutiones et ordinem uno quasi oculorum conjectu possit videre; ita denique acre, ut universa observando, ne in singulis quidem languescat. Mihi sane videtur historiae hujus condendae opus esse philosophi, atque haud scio an summi. Ut enim poëta ingenium suum varie formare, seque in eorum quos in scenam producit, ingenia et mores quasi tranferre debet: ita etiam ille,

quo-

quorum exponit doctrinam, oportet mentem et rationem adſciſcat, et quam cujusque cogitationibus formam ſua ipſius natura impreſſit, hanc ſubeat et imitetur. Qui qua ratione poſſit efficere quae poſtulantur, ipſe viderit: nos, quae poſtularentur, ſignificavimus.

Eſt autem philoſophiae hiſtoria, commemoratio variarum quas inde a principio usque ad noſtram aetatem ſcientia humana ſubiit, mutationum. Atque ut in quaque re inveniri poſſint cauſſae, quibus mutata ſcientia eſt, illud omnino debet cognitum eſſe, qua via hominem ad ſcientiam natura perducat.

Omnis cogitatio animi, eſt vel ſenſus alicujus in partes reſolutio, vel plurium ſenſuum ſub una quaſi ſumma comprehenſio. Itaque cogitationum ejusdem rei varietas oritur a diverſitate vel ipſius ſenſus, vel modi quo animus verſatur in viſis explicandis, conjungendis, partiendis.

Senſus mutantur primum rerum quae cuique ſubjiciuntur, diverſitate, quarum alias alii homini offert natura vel ratio. Atque hic cernitur illa vis, quam ad animum hominis

alio

alio cognitionis genere imbuendum, ab alio arcendum, habet in diverſis regionibus varia coeli temperies, terrae indoles, atque omnium rerum natura. Eſt enim haec efficaciſſima pars inſtitutionis, cum res ipſae vel a fortuna objectae, vel conſilio delectae nos erudiunt, multoque major illius vis eſt, quam ejus quae diſciplinae praeceptis continetur.

Deinde quisque ſenſus mutatur inſtrumenti quo eum res externae impellunt, diverſa conſtitutione et fabrica; uno verbo, ipſius hominis qui ſentit, diverſa natura. Ut enim in ea re quae agit atque impellit, debet eſſe aliqua vis quae ſe exſerat atque effundat: ita in ea re quam iſta impulſio movet, debet eſſe aliqua forma quae vim excipiat atque admittat. Itaque rei ejusdem imago, pro animorum in quibus eam res ipſa effingit, diverſo habitu, ipſa quoque varietatem aſſumit.

Poſtremo ſenſus mutantur cauſſarum diverſitate, quibus animus ad rerum ipſius ſenſibus oblatarum cognitionem impellitur. Non enim ſunt firmae ſatis rerum impreſſiones quae in animo fiunt, niſi animus non ſolum recipit allatas, verum etiam ipſe ultro ad eas totum

ſe

ſe applicat. Omnis autem contentio animi oritur ex aliqua ſpe delectationis vel utilitatis. Quibus itaque cum rebus quacunque de cauſſa exſpectatio illa conjuncta eſt, iis animus recte ſentiendis majore diligentia incumbit. Quo fit, ut rerum harum immagines ceteris fiant clariores et expreſſiores, atque adeo in animo quaſi dominentur. Huc redit illa vis quae ſita eſt in cauſſis moralibus, quas dicunt, quales ſunt educatio, exemplum, leges, inſtituta, mores, tota denique hominis cujusque conditio.

Ad alteram ſcientiae cauſſam quod attinet, quam poſuimus in explicatione viſorum, ſeu perceptionum a ſenſu ortarum: plurimum intereſt, qua quisque aetate et inter quos homines vixerit; quantum ſcientiae a majoribus partum quaſi hereditate acceperit; quota pars ſtadii ante ipſum decurſa jam ſit, atque adeo unde ipſi fuerit proficiſcendum. Videmus enim homines paris inter ſe ingenii, et quorum ſenſus ac memoriam propemodum aeque magna impleat rerum copia, tamen intelligendi prudentia vel explicandi acumine longe inter ſe differre, propterea quod quae alter rudia et involuta accepit, ea alteri jam explicata et

de-

descripta ordine tradita sunt. Est autem etiam in ipsius ingenii indole rerumque pervestigandarum ratione situm permultum. Aliorum enim ingenia excellunt solertia quadam in observandis rebus, et diligentia in animadvertendis. Hi plurimarum rerum cognoscendarum et in memoriam condendarum studiosissimi, ad ea quae adquisiverunt, in scientiae usum convertenda segnes et parum idonei. Aliorum ingenia eminent intelligendi perspicacia, et ratiocinandi acumine. Itaque ad res et eventa multo negligentius attendunt, et quae sunt ipsorum oculis et auribns subjecta ea minus recte percipiunt: at in rebus iis quas ab aliis observatas acceperunt, explicandis et ad genera quaedam revocandis multo et studiosius, et felicius versantur. Aliorum porro ingenia natura propendent ad angustum aliquod et exile argumentorum genus. Itaque ipsa rerum genera pro materie sibi sumunt, quam varie tractando, conjungendo, separando, novas ejus formas effingunt. Ut est angustus rerum et cogitationum orbis, in quo se convertunt, ita omnia exagitant, subtilissimeque definiunt. Quoniam autem saepe antequam sunt de rerum veritate persuasi, aut ea-

rum naturam ſatis cognitam habent, ad eas explicandas accedunt, facile ad inane ac futile argutiarum genus delabuntur. Aliorum denique ingenia videntur a natura eſſe facta ad artes conſtituendas. Nam facile animadvertunt ea quae vel in communi hominum prudentia, vel in libris doctorum ſunt diſperſa, eorumque inter ſe cognationem intelligunt. Itaque dum ea colligunt, dum ſuum cuique rei locum tribuunt, dum collocatione atque ordine omnium inter ſe conſecutionem et nexum evidentiorem efficiunt, artem abſolvunt et diſciplinam.

Eſt igitur in philoſophiae hiſtoria duplex propoſita quaeſtio. Prima haec eſt, quae fuerit aetatis et philoſophi cujusque ſcientia; altera, unde illa ſit orta, qua via ad illam perventum, quid ex illa denique conſecutum.

Prima pars tota illa quidem ſita eſt in narrando: ſed ipſius narrationis diſcrimen aliquod faciunt res quae narrantur. Cum enim in philoſophiae hiſtoria narrentur, non corporum motus, ſed animi ſenſa mentisque cogitationes; omnis autem cogitatio ſit rei alicuius imago: primum res ipſae de quarum imagini-

bus

bus et ſimulacris agitur, cognoſcendae ſunt, iisque verbis ſignificandae, non quae adhibuit is, qui primus hanc cogitationem elocutus eſt, ſed quae qui audiat, in ejus animo iidem aut ſimillimi ſenſus excitentur. Nec enim quid quisque dixerit, ſed quid ſenſerit, noſſe volumus. Quamobrem quoties periculum eſt, ne iis verbis quibus ad ſuam quisque ſententiam explicandam uſus eſt, nullum aut alienum ſenſum tribuamus, toties debent res iis verbis quae impoſita illis erant, quaſi exui, veſtirique contra ejusmodi oratione quae noſtrorum hominum ingeniis quam aptiſſima, nobisque quam maxime perſpicua ſit. Magna haec res eſt, et vehementer neglecta. Videmus enim ſummis philoſophis, quorum vel nomen cum reverentia colimus, tribui nonnunquam opiniones ita obſcuras, ita a communi hominum ſenſu alienas et abſurdas ut eorum ſententiae vel perverſa ſit interpretatio, vel falſa et temeraria approbatio.

Ut autem alterius ſenſa poſſimus aliis verbis, quam quibus ipſe ad illa ſignificanda uſus eſt, explicare, ejus mens erit perſpicienda. Quae ut perſpiciatur, opus eſt et accurata linguae ſcientia, et longo ſcriptoris cujusque uſu,

 ut

ut quid linguae, quid ipſius ſcriptoris proprium ſit, internoſcatur. Licet rei exemplum capere e Zenonis definitione *viſi comprehenſi.* Primum audiamus Ciceronem, vel potius Lucullum, Academicorum libro quarto (*cap.* 18.) contra Academicos diſputantem. *Viſum*, inquit, καταληπτόν, *Zeno eſſe dixit expreſſum effictumque ex eo unde eſſet: quale eſſe non poſſet ex eo, unde non eſſet.* Res eadem, fere iisdem verbis, apud Sextum Empiricum, (*adv. Log.* 248.) optimum in hac re magiſtrum: Καταληπτικὴ δὲ ἐϛιν, ἡ ἀπὸ ὑπάρχοντος, καὶ κατ᾽ αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη, ὁποία οὐκ ἐϛὶν ἐκ μὴ ὑπάρχοντος. Nunc quomodo iſta explicata ſint a Brukero, clariſſimo hiſtoriae ſcriptore, videamus. *Ad comprehenſibilia*, inquit, *tria requiruntur: 1) ut exiſtat ab eo quod eſt; 2) ut conveniat cum eo quod eſt; 3) ut nihil impediat.*

Atqui non tam haec explicata, quam transſcripta, et quae mutata ſunt, parum ſunt recta. Quod enim primum erat in Stoicorum definitione, quaſique ſedes eorum ſententiae, *ut tale eſſet, quale non eſſet ex eo, unde non eſſet*, id his verbis mutatum eſt, *ut nihil im-*

pe-

pediat. Quam notionem haud respondere Stoicorum sententiae, vel hinc intelligitur, quod illa etiam ab Academicis potest admitti. Nam hi quoque visa nonnulla vera esse dantes, ea et orta esse ex re, et similia esse rei agnoscebant: quae enim alia potest esse veritas visorum? Deinde quae visa probabilia appellabant, ea definiebant esse illa, quae nulla re impedirentur. Ergo si visum aliquod verum, etiam probabile est, id quod saepe accidere non negabant, tum ea quae Stoicorum judicio ad perceptum atque comprehensum visum requiruntur, in illo inerunt omnia. Et tamen Academici negabant ullum visum comprehensum esse. Latet igitur hic aliquis error, ortus ex verbis non intellectis. Quem ut deprehendamus, loca illa Ciceronis et Sexti studebimus explicare.

Visum quid est? *Impressio*, inquit Brukerus, *in animae parte principali, quam cum depressione et eminentia, ut in cera fit, conjunctam putavit Cleanthes.* Ita Brukerus, nec perspicue, nec satis recte. Qua enim similitudine Stoici utebantur, ut rem quae intra mentem geritur, et quia fere in solo sensu consi-

 stit,

ſtit, difficulter verbis exprimitur, aliquo modo poſſent declarare, eam in definitione quaſi partem ipſius rei aſſumſit. Quid ergo? Vis et poteſtas illius vocabuli, cujus erat communis uſus omnium philoſophorum, non potuit eſſe obſcura: ſed eam ſententiam quae quaſi lateret in uſu loquendi, perquam difficile fuit verbis efferre. Ex illo autem loquendi uſu apparet, viſum eſſe idem quod apud Gallos *ſenſation*, cujus vocabuli vis alia eſt quam vocabulorum *ſens* et *ſentiment*; nam ſignificat rei externae imaginem, ſenſuum impulſione ac motu in animo excitatam. Haec itaque ſententia cum ſubſit illi vocabulo, videamus iam, quantum operae ſit a Stoicis poſitum in eo, ut quod omnes pronuntiando vel audiendo illo vocabulo intelligerent, id verbis declararent et definitione concluderent.

Primus Zeno viſum definivit eſſe τύπωσιν ἐν τῇ ψυχῇ, formam quaſi aliquam impreſſam animo. Animus, eſt apud hunc auctorem Stoicae diſciplinae, idem quod apud ſectatores ἡγεμονικόν. Zeno itaque volens id explicare, quod in ſuo quisque animo fieri ſentit, quo tempore oblata ei res externa ſenſus ipſius

mo-

movet, neque habens quomodo illum ſenſum proprie ſignificaret, confugit ad ſimilitudinem, et ejus rei cujus quisque ſenſum haberet, dixit in ejus animo picturam quaſi quandam aut ſignum vel ſimulacrum effingi.

De qua Zenonis ſententia cum Cleanthes ſubtilius diſputaret, inductus eſt eo, ut quod translatum erat propter inopiam, id rei ad quam explicandam erat adhibitum, proprium eſſe crederet. Non igitur id quod in animo ſenſu movetur, ſimile ſigilli expreſſi, ſed natura et re ipſa conſentaneum eſſe dicebat: induere nempe animum formas aliquo modo, et in figuras componi earum rerum quae ſenſum afficerent, quemadmodum cera inſinuaret ſe in effigiem impreſſi ſigilli, indens ſe in depreſſiores partes, cedens eminentioribus. Ita qua re Zeno primus vocabuli vim declarari voluit, ea hic rei ipſius naturam explicandam eſſe duxit. Haec igitur quae a Brukero commemorata eſt, non Stoicorum communis, ſed Cleanthis propria fuit opinio, a Sexto Empirico his verbis expoſita, ἡ τύπωσις κατὰ ἐξοχὴν καὶ εἰσοχήν. Lapſum eſſe Cleanthem deprehendit Chryſippus, negans τῆς τυπώσεως Zenonis

 hunc

hunc ſenſum eſſe, qui a Cleanthe illi tribueretur. Nec enim fieri poſſe, ut res ulla eadem plures formas ſimul ſuſciperet: animum autem plurium rerum eodem tempore imagines comprehendere: abhorrere a ſenſu communi, triangularem eſſe animum aut quadratum, dum de triangulo aut de quadrato cogitaret.

Chryſippus igitur, dum ea quae in iſta Zenonis verbi translatione ſunt propria rei, unde ducta eſt, disjunxit ab iis quae utrobique paria ſunt, ex metaphora definitionem effecit, ut viſum eſſe diceret animi quandam ἑτεροίωσιν. Rectius id omnino: ſed plura erant in verbo iſto translato, quam in hoc proprio: eſtque in definitione omiſſa notionis pars ea, quae ſimilitudine iſta erat ſubindicata. Nempe qui alieno vocabulo uti nollet, nec haberet proprium, ei neceſſe fuit omittere id, quod non poſſet declarare.

Statim agnitus eſt ille defectus: mutari animum dicebant etiam intelligendo, etiam concludendo, etiam appetendo: nec tamen viſa haec eſſe. Itaque definitioni additum eſt id, quod jam antea ſub-

ſubintelligi oportuiſſe contendebant: patientis animi et aliunde moti mutationem viſum eſſe, non agentis et ſe ipſum moventis. Sed ne haec quidem definitio caruit dubitatione. Videbatur enim patere nimis late, nec excludere illas animi ἑτεροιώσεις, quae vi aliena efficerentur, nec tamen viſa eſſent; qualis eſt accretio et diminutio.

Denuo igitur tentata eſt definitio, et quae definiendo elabebantur, ea partiendo conſtringere ac vincire quaſi ſtudebant. Itaque viſa eſſe dicebant eas animi patientis mutationes, quae vel a rei externae impulſione, vel ab animi affectione aliqua proficiſcerentur.

Hiſtoriam quaſi definitionis videmus, ex qua ea decerpere ac colligere, quae et communia totius ſectae, et maxime accommodata uſui loquendi fuerunt, ejus eſt, qui philoſophiae hiſtoriam velit conſcribere.

Nunc quid ſit viſi comprehenſi proprium, videamus. *Viſum* ait Cicero dixiſſe Zenonem *ex eo expreſſum et effictum, unde eſſet.* Subtilius Sextus Empiricus, et planius. Duae ſunt

apud eum notiones, quae apud Ciceronem est una. 1) ἡ ἀπὸ ὑπάρχοντος. Videlicet qui motus in ſenſu eſt excitatus atque ad mentem propagatus, is ortus eſſe debet ex re quae eſt. 2) ἡ κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη. Idem hoc eſt quod Cicero expreſſum et effictum appellat. Indicatur ſimilitudo abſolutiſſima imaginis cum re ex qua orta eſt. Expreſſum enim opponitur etiam adumbrato. Et primo quidem videntur adumbratam imaginem dixiſſe, lineis in plano depictam; expreſſam autem, in ſolido eminentem. Ita enim nonnunquam conjunguntur haec tria verba, *ſolidum*, *eminens*, *expreſſum*, ut idem ſignificare videantur. Sic Cicero (*de* N. D. I. 7.) Deos Epicuri, qui nihil ſolidi, nihil expreſſi, nihil eminentis haberent, adumbratos appellat. Deinde autem utriusque vocabuli ſignificatio latius coepit patere. Quoniam enim adumbratio in pictura erat rei prima circumſcriptio, et umbra ac luce facta qualiscunque diſtinctio, etiam in eminentibus ſimulacris adumbratum dictum eſt id, quod inchoatum ruditerque effictum eſſet, ita tamen, ut, cujus rei eſſet imago, appareret. Similiter expreſſio, quanquam erat proprie ſigni exſtantis elaboratio, tamen ad picturam quo-

quoque translata, et de imaginis absolutione ac perfectione usurpata est. Ita Cicero (*pro Coel.* 4.) virtutum non expressa signa, sed adumbrata dixit, intelligens virtutis qualemcunque speciem, non perfectam et solidam. Quod itaque visum comprehensum Stoici expressum esse debere dicunt, id non est rei sensae qualiscunque imago, rudis illa et imperfecta, sed plane rem totam referens, atque alte in animum penetrans. Debet igitur visum et imago in animo excitata rem unde orta est, ita referre, ut non depicta, sed quasi res altera esse videatur. Porro addit Cicero, *qualis esse non posset ex eo unde non esset.* Hic est fons dissidii atque contentionis inter Stoicos et Academicos. Nempe Stoici docebant, non solum verorum visorum esse notas aliquas internas, propriumque sentiendi modum, quo discernerentur a falsis, verum etiam rerum quarundam imagines ita in suo genere unas et singulares esse, ut a nulla re alia, nisi ab ea ipsa quae sensibus objecta esset, in animo possent effingi. Quod igitur visum esset ejusmodi, ut ei perfecte simile aliud ab alia re nulla, praeterquam ab ea quae praesens et sensibus subjecta esset, in animo posset excitari, id comprehensum

esse

esse dicebant. Ut, visum turris comprehensum tunc est, cum ex nulla alia turri potest in animo oriri perceptio, quae illi prorsus omni ex parte respondeat. Atqui negabant Academici talia visa esse: nec enim ullam esse perceptionem, e re sensa ortam, quae non posset aliunde quam simillima oriri: quemadmodum turris quadratae species videtur eminus spectanti eadem, quae cominus intuenti rotundae. Tota ergo controversia eo redibat, ut quaereretur, primum, essetne cujusque rei natura adeo singularis et propria, ut animus eam perspectam a ceteris omnibus posset internoscere; deinde, an ulla res imaginem suam ita in animo sentientis exprimeret, ut quae rei essent proprietates et discrimina, in imagine conservarentur, essentque rerum simulacra seu visa eodem quo res ipsae, modo inter sese distincta. Quorum de altero Academici dubitabant, alterum negabant omnino.

Nec vero linguae solum peritia opus est, ut intelligas ea quae a philosophis traduntur, sed etiam cujusque ingenium et sentiendi cogitandique ratio diligenter est cognoscenda. Nam verborum in declarandis sensis delectus,

ora-

orationisque conformatio et color permultum trahunt ex ejus qui loquitur, indole animi et facultate ingenii ea, quae maxime inter ceteras eminet. In interpretando autem nihil aeque attendendum eſt, quam ut quod proprium eſt rei, quae exprimitur, diſtinguatur ab eo, quod a loquentis natura acceſſit, et rei quaſi circumjectum eſt. Sunt enim verba quodammodo ſenſorum amictus. Qui ubi nimis laxus eſt et amplus, adſtringendus eſt, ut forma corporis appareat; ubi nimis arctus et adductus, dilatandus, ne corpus angatur.

Eſt itaque in oratione mediocritas quaedam et quaſi aequa planities, cum ſenſa verbis aptiſſime declarantur, nec ullo modo vel augentur, vel minuuntur. Atque inter hos fines conſiſtit ille ſenſus communis. Igitur ſive aliquis ingenii ardore, aut cogitationum quaſi aeſtu elatus, volet ſublimis, de caelo eſt deducendus: ſive perſcrutandi diligentia, aut diſputandi acumine in terrae quaſi viſcera delatus, ibi abditus haereat, ex iſtis latebris educendus eſt ſub dium. Perdifficile hoc eſt, fateor: ſed eſt ita neceſſarium, ut quod maxime. Nam ubi ſenſorum quaſi ratio eſt ineunda, niſi

ad-

addideris vel detraxeris id, quod ex hominis cujusque ingenii indole atque animi conformatione accessit, falsus computus prodeat necesse est. V. c. explicandum est, quid Plato senserit. Hoc idem est ac si explicandum esset, quid sensisset, si in cogitando nulla alia causa nisi re ipsa, fuisset affectus. Id ut inveniatur, sententia ejus denudanda est atque exuenda non solum ornatu, qui non ita valde adhaerescit, facileque detrahitur, sed etiam illa ipsa forma quae a Platonis mente atque ingenio translata est in res, et cum iis coaluit, adeo ut vix illis adimi sine detrimento queat. Non igitur mirum est, si quod aliquando vel philosophi, vel poetae dictum absurdum videatur: quoties enim quae illi mentis quodam impetu elati, vel animi ardore incensi fuderunt, ea nos ita interpretamur, quasi pronuntiassent illa tranquille, sicut professores de cathedra, et eadem sensissent, quae nos iisdem verbis usi, dixisse videremur?

Deinde ut ceterorum omnium cogitatorum cujusque hominis est inter se consecutio quaedam et affinitas, sic etiam false sensorum est aliquis nexus et consensus. Nulla enim

potest

potest neque res oriri, nisi praeeunte aliqua caussa, neque cogitatio cuiquam in mentem venire, nisi quae sit ab iis quae in mente antegressae sunt, praeparata et quasi introducta. Si quis homo de re quapiam aliquid sentiret, quod a reliquis omnibus quae ipsi persuasa aut cognita sunt, discreparet, neque ulla ratione cum iis posset conjungi: esset aliquid effectum sine causa: id quod fieri non potest. Igitur philosophorum opiniones et decreta possunt illa quidem falsa esse atque a natura rerum dissentire: at dissona esse inter se ipsa, neque ullo ne levissimo quidem vinculo conjuncta non possunt. Nec enim ea sensorum in animo semper vel nostro esse potest, vel aliorum demonstrari debet consecutio, ut posteriora ex prioribus necessario consequantur: satis est, si eo ordine et ratione, qua animus possit probabiliter et convenienter naturae ab alia re cogitanda ad aliam transire.

Quae sensorum connexa ratio nisi perspicitur, ne singula quidem praecepta satis probe intelligi possunt. Nihil autem est magis ineptum ad id quod quaerimus, quam philosophorum rationes in sententiolas breves et concisas

con-

confringere. Opus est ad eam rem oratione continua et fusa, quae id quod primum est, et a quo reliqua omnia sunt apta, primo loco explicet, deinde per omnem disciplinae ambitum eadem via decurrat, qua credibile sit illum ivisse, qui rem primus invenit. Age demus exemplum, quod istam praeceptionem illustret.

Stoicorum paradoxa, si quis ea inter se distracta interpretetur, non falsa tantum et absurda, (nec enim id mirum esset, venisse aliquid falsi philosopho in mentem) sed etiam ipsi eorum rationi plane contraria sunt: id quod ne in ultimum quidem philosophorum cadere potest. Atqui si recte intelligas, deprehendas illa et vera esse aliquo modo, et quod maximum est, apta ex reliquis eorum sententiis, et valde cum iis consentanea.

Redeundum est autem ad quoddam principium doctrinae Stoicae de moribus, quod est omnibus praeceptis tanquam fundamentum substratum. Id planissime a Plutarcho, in libello de virtute morali, explicatur. Nos rem inde colligamus, verba mittamus. Omnium

fere

fere ceterorum philofophorum haec ratio fuit, ut partem animi eam quae ratione et confilio utitur, diftinguerent ab ea quae impulfu tantum externo movetur, et cupiditatibus exardefcit. Virtutem itaque ponebant in moderatione ac temperantia cupiditatum, fi ratio gubernaret, cupiditas obediret ac fequeretur. Stoici, quorum in tota philofophia omnia ad folam rationem, quafi ad unam omnium dominam, referebantur, etiam voluntatis propenfiones ad agendum vel non agendum, judicio folo contineri; actionum autem honeftatem vel turpitudinem in judicii veritate vel falfitate pofitam effe cenfebant. Eandem vim animi effe, quae intelligeret, effetque fcientiae parens, et quae cupiditates ac perturbationes procrearet, fi de eo quod in re aliqua bonum vel malum effet, perperam judicans, voluntatem vehementius quam pro rei natura et veritate, inclinaret vel reclinaret. Itaque cupiditates quae animum conturbarent, non natura differre a propenfionibus voluntatis quam ratio inclinaffet, fed tantum eo quod non cum re convenirent. Quae igitur ceteri πάθη nominabant, et excitari putabant a rebus externis impellentibus animum et vi quafi ex-

pugnantibus, consilio rationis contemto, ea illi appetitus esse dicebant, ortos ex falsa opinione. Jam si pro judicii veritate vel falsitate actio quaeque recta vel prava est, omnes virtutes et omnia vitia paria sint necesse est, quia gradum veritas et falsitas non habent, neque quidquam verius vero, et falsius falso esse potest. Deinde si omnes animi affectiones, quas perturbationes dicimus, a judicio pendent: simulac recta mens rediit, cessare illae debent atque omnino abesse. Nec enim quo tempore aliquis recte judicat, eodem potest opinionis errore duci. Quamobrem si Stoicis illud primum concessero, ad rationem omnia esse in animo referenda, neque praeter illas animi ὁρμὰς quae judicium sequantur, esse alias quae sensu solo ducantur, atque ab animo recipiantur magis quam suscipiantur: necessario etiam hoc dandum erit, perfectam honestatem quaerendam esse in ἀπαθείᾳ, h. e. non in moderatione, sed in absentia omnis cupiditatis. Quis enim potest reliquus esse vel levissimus error, cum primum veritas plena est agnita? Atque esse hoc primum Stoicorum decretum, cui reliqua omnia, tanquam rami trunco, sint inserta, Cicero quoque innuit

nuit libro primo Academicorum. *Cumque superiores non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura aut more perfectas: hic omnes in ratione ponebat. — Cumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent et rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent, ne his quidem assentiebatur. Nam et perturbationes voluntarias esse putabat, opinionisque judicio suscipi, et omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam.*

Haec igitur qui probat, is non solum congrue potest, sed etiam necessario debet ἀπάθειαν et virtutum ac vitiorum paritatem probare. Quodsi periculum faciamus, etiam in aliis idem experiamur, ut quae antea sint visa esse peregrina et in alienam regionem delapsa, neque ulla cum ceteris cognatione aut necessitudine conjuncta, ea domestica et in sua sede quasi collocata esse appareant, simulac penetratum sit ad cujusque disciplinae origines et elementa, unde opinionum quasi glomus est devolutum.

Quod igitur ejus qui philosophiae historiam scriberet, officium esse diximus, ejus altera pars, quae jubebat exponi, quid a singulis philosophis sensum esset, his rebus absolvitur. Restat, ut alteram explicemus, quae postulabat doceri, primum quibus caussis in universum scientia humana et orta, et aucta, et opinionum varietate distincta, et denique vel in inanem loquacitatem delapsa, vel ad primam infantiam redacta esset; deinde quibus ex rebus philosophus quisque suas rationes duxisset, et qua vel temporis et loci, vel ingenii sui opportunitate in eas sententias quibus adhaesisset, esset delatus. Ac primo patet, ad eam rem opus esse notitia explorata vitae philosophi cujusque, tum etiam status earum rerum quibus interfuerit. Quare videmus etiam omnium hujus historiae scriptorum hanc consuetudinem esse, ut antequam de philosophi cujusque disciplina exponant, quae fuerit ejus vita, commemorent. Sed plerique omnes ea vel diligentissime tradunt, quae minime conferant ad id quod quaerimus, cognoscendum, et si qua narrant, quae ad id pertinere videantur, ea non ita inter se jungunt, nec tanta luce collustrant, ut eorum promtus et facilis usus esse possit.

Quae

Quae in hominis cujusque vita, ejusque conditione plurimam vim habuerint ad ingenium ipſius vel expoliendum, vel corrumpendum, intelligitur partim ex ipſis generibus earum rerum, quae ſenſus illius pulſarunt, partim ex rerum ab ipſo geſtarum conſiliorumque quae in vita vel privata, vel publica ſecutus eſt, ratione.

Primum igitur, quoniam ſenſus primus eſt intelligendi magiſter, atque adeo earum rerum quae cujusque ſenſum inde ab ipſius infantia moverunt, natura et ordo, et viſorum aliorum frequentia, aliorum raritas, habet in ſe originem et cauſſas ejus quam ſibi comparavit, ſcientiae: oſtendendum eſt, quibus quisque in rebus maxime verſatus ſit, unde plurimas rerum imagines ejus mens hauſerit, quae quaſi materies ei a natura data fuerit, in qua ingenium exerceret: ut intelligatur, quibus cauſſis impulſus, in hoc potiſſimum ſcientiae genus inciderit, eamque non alio quam hoc modo tractaverit, et quibus rebus vel adjutus, tam longe progreſſus ſit, vel impeditus, tam mature ſubſtiterit, aut etiam tantum de via deflexerit. Sane difficilimum

hoc eſt, in tanta monumentorum inopia, eorumque quae ſuperſunt, jejunitate: ſed tanto majorem diligentiam vitarum ſcriptor adhibere debebit. Deinde ingenii et naturae cujusque indoles eſt demonſtranda: quae cum in rebus gerendis manifeſtius fere quam in intelligendis cernatur, debet animus ex rebus et vitae genere perſpectus, ad rationes ſententiarum reddendas transferri potius, quam ſententiarum cognitio ad conjecturas de vitae ratione faciendas. Quibus itaque temporibus animus hominis maxime declaratur, quibus rebus indoles ejus oſtendit ſe maxime atque aperit, eae ſunt diligentiſſime conquirendae.

Jam praeter vitam hominis, etiam ceterarum rerum quae ad eum ullo modo pertinuerunt, ſtatus et conditio exponi debet. Narrandi modum narrationis definit conſilium. Res enim quae quoque in loco, et quaque aetate eveniunt, civitatis leges et ſtatus, imperantium ingenia, ſaepe multitudinis etiam opiniones et mores efficiunt, ut ſcientiae genera alia negligantur, alia ſummo ſtudio colantur, alia denique corruptelis de induſtria depraventur. Nemo enim unquam in ullam

rem

rem quidquam ſtudii et operae collocat, niſi ob aliquod commodum ex ea re percipiendum: quo nomine complector, quidquid confert aliquid ad bene beateque vivendum. Ex quibus autem rebus plurimum in te commodi redundet, quae te ſtudiorum genera maxime ad vitam beatam ducant, id unice pendet ex hominum quibuscum vivas, et eorum praecipue in quorum poteſtate ſis, opinionibus, rerumque circumſtantium conditione.

Porro, quoniam ſcientia humana catenae ſimilis eſt, cujus unusquisque articulus habet alium ſibi proximum, ex quo aptus, cum ceteris omnibus connexns ſit: illud etiam cognitu perquam neceſſarium eſt, in quem quisque articulum iſtius catenae delapſus, quantum ex ea jam explicatum et devolutum acceperit. Seu, ne verbis translatis utamur in re quae propriis abundat, unusquisque homo, qui vel communi rerum et hominum uſu, vel inſtitutione ac diſciplina eruditur, accipit aliquas cognitionis opes, aliena induſtria jam ante ſe partas. Quo plus igitur in eo ſcientiae genere quod ſibi delegit, jam eſt effectum; quo et plura inventa, et melius expoſita, et ad

plures propagata jam ſunt; quo praeſtantioribus magiſtris eſt uſus; quo denique majora ingenia ea aetate in quam incidit, effloruerunt: eo et facilius inventa percipiet, et inſtructior erit ad nova invenienda. Mirum eſt enim, quantopere ingeniorum quorundam praeſtantia aetatis ſuae homines ad ſui ſimilitudinem rapiat: nam omnes fere ſtudent imitari ea, quae admirantur: idque magis etiam in adoleſcentibus accidit, qui non tantum ſententias ab illis accipiunt, ſed ipſa quoque ingenia ſua facilius ad eorum ſimilitudinem conformant. Sunt ergo in philoſophiae hiſtoria diligenter notanda ingenia eminentia, quae tanquam lapides terminales iter multis flexibus et anfractibus circumductum regunt, viamque totam quaſi definiunt.

Denique, id quod fortaſſe minime obſervatum eſt, etſi digniſſimum erat quod obſervaretur, eſt quidam orbis in quo ſeſe convertit ac revolvit prudentia humana, ut cum progreſſa eſt plurimum, circumacta modo, et eo unde profecta eſt, relata eſſe videatur. Quam igitur naturae conſtantiam in progreſſionibus ceterarum rerum videas, ut aliae alias eodem

ſem-

ſemper ordine ſequantur, eadem in cognitionis humanae quoque incrementis ac diminutionibus obtinet. Sunt illius quaedam initia naſcendi, deinde infantia, pueritia, adoleſcentia, aetatis maturitas, ſenectus, decrepita aetas, mors. Inſcitia primum et feritas, nec major cognitio rerum, quam quae oculorum et aurium uſu contineretur: mox rerum uſus major jam, et naturae accuratior obſervatio: inde tum experientia, tum exſpectatio eventorum ſimilium; quae duo prudentiae prima genera, plurium hominum pluriumque aetatum ſtudiis in unum collata, et ſententiis quibusdam brevibus concluſa, prima quaſi adumbratio fuerunt philoſophiae: tum quae iis acceſſit, diſputatio quaedam ſimplex, neque valde ſubtilis, effecit ſenſum illum communem: is magis et magis explicatus, et ad regulas quasdam revocatus, philoſophiam genuit: quae ad ſubtilitatem principio, mox ad exilitatem in diſputando progreſſa, argutiarum denique inanitate evanuit. Scilicet ex magna illa experientiarum animo comprehenſarum mole ſinguli caſus tanquam ſolida quaedam in imo reſident, et ſenſim elabuntur: genera rerum et praecepta inde velut chymico artificio

extracta, in ſublime feruntur, et altioribus intelligentiae ac rationis ſedibus adhaereſcunt: ubi tum ratiocinando et inquirendo longius proceditur, magis magisque illa ſcientia extenuatur, et niſi nova experientiarum et rerum ſuccreſcat ſeges, in vapores et fumum diſtrahitur.

Atque hunc ordinem videmus etiam occupationibus hominis, in quibus inde a principio verſatur, conſentaneum eſſe. Primum ille nudus in terram ejectus, rerum omnium inops, in rebus ad victum cultumque neceſſariis quaerendis omne et tempus et ingenium conſumebat. Quae rerum cognitio prodeſſet ad vitam ſuſtentandam ac tuendam, eam ut conſequeretur, ſtudebat, ne ſuſpicans quidem etiam aliam aliquam eſſe. Itaque ſenſus primum excitatus et exercitus eſt, et oculorum atque aurium acumen erat prudentiae modus. Poſtquam ſic homo plurimas res obſervaverat, ſolutus jam cura illa quaerendi victus, primum otium collocabat in earum rerum imaginibus revocandis quas antea ſenſibus uſurpaſſet. Itaque ſentiendi facultatem ſecutus eſt imaginandi luſus, isque tantus, ut quo quisque propior fuerit

illi

illi aetati, eo magis eum videas imaginibus et fabularum commentis indulsisse, atque in hoc vitium incurrisse, ut opinionum monstra et portenta verius, quam res et rationes afferret. At cum primum societas hominum conciliata, et civitas instituta est, prudentia illa quae antea posita erat in rerum visarum et auditarum copia, sejuncta est a sensu, atque ad regulas quasdam revocata. Nam una cum civitate inducta est necessitas plurium rerum simul animo comprehendendarum, et eorum quae in singulis notata essent, ad leges quasdam communes referendorum. Itaque studio ex necessitate orto, cum institutione civili et nata est philosophia, et adolevit, semperque omnibus illius temporibus implicata mansit. Nam legibus constitutis, atque opibus auctis, ubi firmitatem habuit respublica, ex otio natae sunt eae artes, quae vitam humanam et ornant, et jucundiorem efficiunt. Novis itaque delectationum ac taedii generibus ortis (nec enim ullum potest voluptatis novum genus excogitari, quin ei nova molestia quoque sit adjuncta) novus etiam cognitionis fons apertus est, et nova quasi rerum spectacula animo sunt ad contemplandum examinandumque proposita.

Nam

Nam unusquisque ſenſus eſt aliquod ſemen, quod incluſa in ſe multa et varia cognitionis quaſi folia continet: id meditando diſputandoque ſe recludens, elicit ex ſeſe profertque ſcientiam, quae ſenſim ad juſtam artis tanquam arboris magnitudinem excreſcit. Philoſophia ergo, nova ipſi materie ſuggeſta, magis jam ratiocinando ſe quam imaginando exercebat: quod quisque ſentiret, nec verbis efferre poſſet, ipſa enuntiando ſignificabat: quae ab omnibus recta vel prava, pulchra vel deformia judicarentur, ad cauſſas revocabat, et rationibus adſtringebat: ſenſum illum communem veri atque artium guſtum praeceptis et legibus concludebat. Haec dum fecit, non eſt dubium, quin munere ſuo ſit functa. Jam ſi neque rerum et experientiarum numerus augetur, et philoſophorum in inquirendo perſeverat diligentia: neceſſe eſt, ut aut quae ab aliis jam dicta ſunt, novis formis induta, repetantur, aut denuo in exiliores partes diviſa, ad genera altiora et praecepta ſubtiliora revocentur. Studio itaque illo per aliquot aetates continuato, diſputationes et commentationes in immenſum excreſcunt. Quodſi artes eodem tempore deficiant, et pulchritudinis ſenſus vel hebe-

hebescat, vel depravetur: philosophia nullo amplius veri sensus fundamento innixa ruit, jacetque tamdiu, donec facta rerum conversione, rursus ad primam simplicitatem resurgat.

Incunabula philosophiae et rudimenta apud Orientis populos fuere. Quae ex eorum aetate supersunt, vel ab ipsis memoriae prodita, vel a Graecis scriptoribus ad nos propagata, ex iis patet, vix apud ullam harum gentium philosophiam provectam esse ultra eum terminum, in quo diximus fuisse illam ἐνθουσιασμὸν quendam, et mentis ad res imaginandas mirabiles propensionem. Placita magis quaedam et ritus, quam doctrina et praecepta tradebantur. — At cum primum ad Graecos translata est philosophia, videtur in fertilius solum et suae naturae convenientius incidisse: ita enim parvo tempore excrevit, ut vix ullum superesset primae originis vestigium, neque ulla ei cum ea disciplina, unde orta erat, similitudo intercederet.

Qui primis temporibus sapientiae laude inter Graecos floruerunt, non philosophi quidem illi, sed vates potius et divini, Orpheus, Me-

Melampus, alii, haud longe recesserunt a ceterarum gentium in explicandis naturae operibus ruditate. Est enim et opinionum inter eos summa cognatio, et rationis tractandarum rerum similitudo, nisi quod amoenius Graecorum ingenium illa fabularum portenta, et vastas informesque imagines a Barbaris traditas, et forma aliqua certa concludebat, et ornatu quodam verborum distinguebat. Ita eosdem Graecia tunc musicos et poetas, quos philosophos habuit. Praeter naturae autem expositionem erant in ista philosophia composita omnia ad civilem prudentiam, non subtilem illam, quae legibus institutisque totam reipublicae formam describeret, sed talem qualis posset homines incultos ad humanitatis aliquem sensum et societatis cultum perducere. Quamobrem hac aetate sententiarum veritas nihil aliud fuit, nisi earum utilitas, adeo ut quae res credita conferre aliquid posse ad societatem tuendam videbatur, eam crederent veram esse. Mox secutum est aliud hominum civilium et sapientium genus, non homines primum ad societatem perducens, sed societatis jam contractae vinculum laxius et nimis dissolutum constringens, in agris dispersos homi-

mi-

mines in urbes colligens; civitatis formam instituens, legibus ornans, omniumque rerum gerendarum ordine descripto, effingens et perficiens. Quod autem Graecorum civilis prudentia multo et uberior est et subtilior Barbarorum in hac re institutis: id oritur ex eo, quod in libera civitate omnia legibus sunt definienda, rationibus ad permovendos hominum animos aptis firmanda, et verbis declaranda: quae ubi unius arbitrio et quasi nutu gubernantur, nullum rationis et artis usum requirunt, ac ne locum quidem illis relinquunt. Atque ex hoc genere fuerunt septem illi celebres, quos, Thalete excepto, civitatum vel institutores, vel rectores fuisse constat. A reipublicae autem gubernatione philosophia (quod mireris) rursus deflexit ad naturae universorum explicationem. In quo loco ita philosophi versabantur, ut quae antiquitus erant de mundi origine tradita, ea ratione aliqua explicarent, et id quod de universis statuebant, transferrent ad singula naturae eventa explicanda. Inter quos quidem eminet Anaxagoras, subtilis sane disputator, et acutus rerum inventor. Haec dum in Asia minori et Graecia geruntur, aliud philosophiae genus in

magna

magna Graecia efflorefcit, Barbarorum portentofam philofophiam conjungens cum Graecorum in difputando fubtilitate. Pythagoras auctor hujus difciplinae, vir multiplicis ingenii et ad contraria apti. Videtur enim in imaginandis rebus ita effufus ac paene effraenis, ut Aegyptios ipfos quoque, quos in hac re praeceptores habuit, vinceret; in difputando autem ita tenuis, exilis atque acutus, ut ne a fubtiliffimo quidem Graecorum fuperatus fit. In morum difciplina inftitutisque iis, quae fcholae fuae tradidit, morofus aliquanto et fubtriftis, trahens aliquid ex eo ingenio quod primum Monachorum vitam genuit. Hic primus legislatoris munus a philofophi officio disjunxit, aliudque quod credi a multitudine reipublicae intereffet, publice docebat, aliud quod verum effe ipfe credebat, cum paucis difcipulis fuis communicabat. Terminum itaque ille quafi conftituere videtur, quo Barbarorum cum Graecorum philofophia, et civilis prudentia cum fcholae fubtilitate conjuncta eft. Socrates philofophiam antea fimulacris magis quibusdam animo illudentem, quam rationibus concludentem, primus veram fcientiam effecit, et aptam naturae hominis reddidit,

dit, veramque illius naturam constituit. Est autem Socratica philosophia ille ipse sensus communis, qualis est in homine acuto et usu rerum exercitato, qui adjunxerit disputationem non exilem illam et tenuem, sed pressam tamen et elegantem. Semper inquirebat Socrates in res quae propositae erant, nunquam de iis pronuntiabat, simulque cum iis quos docebat, discere videbatur. Itaque εἰρωνεία illa et ignorautia, in qua agnoscenda omnem suam sapientiam sitam esse dicebat, tam a natura ipsa et ingenii sui indole, quod ad res semper novo modo tractandas promtius, quam ad retinendas priores cogitationes tenacius erat, data ipsi et injuncta; quam consilio et de industria ad illudendam sophistarum arrogantiam ab ipso adhibita erat.

Nec tamen diu intra hos terminos, quibus Socrates eam conclusit, philosophia subsistere potuit, statim sub discipulis ejus iterum evolans. Platonis primum et ingenio summo, et in dispntando acumine latius evagata, et omnem fere rerum ambitum complexa est, tum naturam rerum explicans, tum de officiis hominis praecipiens, tum denique, quod an-

te omiſſum vel leviter tactum erat, de natura animorum et ſentiendi cogitandique ratione diſputans. Ariſtotelis autem non acumine ſolum, ſed diligentia quoque tum ad novum rerum genus applicata eſt, ad artium nempe ingeniique opera dijudicanda, tum ipſa ad artem revocata et diſciplinae juſto orbe concluſa. Atque hoc tempore poſtquam philoſophia ad plures coepit propagari, neque quisquam liberalius educatus ea carere omnino potuit: philoſophantium numero etiam opinionum diſcrepantia et ſententiarum numerus auctus eſt. Ad triplicem autem omnino diſciplinam et rationem natura eos ipſa duxit. Alii omnia ad rationem revocantes, et certa pronuntiantes fere omnia quae a majoribus tradita acceperant, non tam occupati erant in rebus novis inveniendis, quam definiendis, partiendis, demonſtrandis antiquis. Alii et dialecticae argumentis ducti, et ſua ipſi eruditione et eloquentia decepti, de rebus omnibus in utramque partem diſputabant, et quidquam percipi poſſe negabant. Alii denique ſenſu teneriori et ingenii quadam mollitia praediti, omnem vim animi in ſentiendo ponebant. Itaque et veritatem ſenſibus metiebantur, et honeſtum bonum-

numque in voluptate collocabant: ſcilicet non quod efficeret aliquid boni, id bonum appellantes, ut ceteri philoſophorum, qui honeſtate vel cum natura convenientia ſummum bonum contineri judicabant, ſed quod extremum illud eſſet, quod ab omni bono in animo efficeretur, id finem bonorum exiſtimantes: quod quidem quin ſit in ſenſu illo ſuavi et grato, nemo unquam dubitavit.

Ita exacto fere illo orbe quo philoſophia a ſenſus ſimplicitate perducitur ad ſubtilitatem diſputationis, degeneravit paullatim apud Graecos, et translata ad Romanos, conſervata magis ab iſtis et in civiles quosdam uſus converſa, quam immutata vel aucta eſt. Sed hujus libelli modum exceſſura eſſet haec longius progreſſa narratio. Itaque rerum et quas attigimus, diligentiorem explicationem, et earum quas omiſimus, tractationem alii loco et tempori reſervamus.

V.

LEGENDORUM PHILOSOPHORUM VETERUM PRAECEPTA NONNULLA ET EXEMPLUM.

AUCTORE CHR. GARVE. *)

Comparanti mihi historiam civilem cum historia philosophiae, visa est sub ejusdem nominis communione rei diversitas maxima latere. Qui

*) Diese im Jahr 1770 von Garven in Leipzig geschriebene Abhandlung als Ankündigung seiner Antrittsrede (d. 5. Sept.) verdiente ebenfalls ihres Inhalts und ihrer Sprache wegen von neuem ins Publicum zu kommen. Je seltner sie geworden ist, desto mehreren meiner Leser wird mit diesem Abdruck ein Dienst geschehen. Keiner wird sie ohne Nutzen und Vergnügen lesen.

Qui enim ex illo genere quod res geſtas narrat, uberrimus fructus percipitur, quod ſunt nobis exempla propoſita, in quae intuentes et judicare rectius de rebus, et agere prudentius poſſimns, is fere totus abeſt ab hoc quod rationis acta commemorat. Cauſſa diſcriminis haec eſt. In iis negotiis, quae verſantur in magna rerum varietate, et eventorum quadam complicatione, minus loci eſt praeceptis quam exemplis. Nam praeceptis non niſi praecipua quaedam et communia, exemplis etiam minutiora et propria continentur. Atqui ad cognoſcendum ſufficiunt iſtae rerum ſummae et genera, quae et oratione exponi, et diſciplina concludi poſſunt. Ad agendum autem neceſſaria eſt etiam minutarum et multiplicium rerum illarum animadverſio, adhaereſcentium quaſi magnis negotiis, conſiliorumque prudentiam vel impedientium, vel adjuvantium: quae nec propter multitudinem verbis exponi, nec propter varietatem et incônſtantiam praeceptis definiri, at in ipſis rebus geſtis quaſi in ſpeculo facile uno obtutu conſpici poſſunt.

Haec omnia longe aliter in Philoſophia. Cui cum propoſita ſit inveſtigatio veri, et illa

ipſa perſcrutandi quaerendique diligentia: non poteſt in aliorum opinionibus et ſententiis conquieſcere. Nec nomen ſuum et officium tuetur Philoſophus, qui non ſuae mentis propriam in explorandis rebus agitationem adhibuerit.

Exemplorum in Philoſophia uſus ſi quis eſt, is longe alius eſt, quam in gerendis negotiis civilibus, nec ejusmodi, qualis vi iſtius vocabuli continetur. In omni enim actione ab homine profecta, duo ſunt inter ſe conjuncta, alterum actio ipſa, alterum actionis eventus. In actione ipſa autem eſt vel niſus mentis internus, vel rerum externarum ad exſequendum illum conatum uſurpatio et accommodatio. Jam in quibus negotiis eventus magis et effectus, quam agendi ſollertia ſpectatur, et quae magis verſantur in adhibendis prudenter tractandisque inſtrumentis quaſi quibusdam et ſubſidiis, quam in eo ut animi vis in ſe ipſa exerceatur: in iis imitationi plus loci eſt, exemplorumque uſus eſt latior et fructus uberior. Hujus generis ſunt negotia civilia, pacis bellique adminiſtratio. At cogitare, inquirere aliquid, notiones mentis compl-

plicatas evolvere et explanare, id quidem eſt ex eo negotiorum genere, in quibus ipſa virium exſertio, non rei alicujus ab illis facta mutatio ſpectatur; neque actionis pars ulla extra mentem in re aliqua ſenſibili occupata eſt. Hic ſi exemplis contemplandis proficitur aliquid: magis fit contrahendo ſimilitudinem aliquam cum alieni ingenii natura, quam ejus cogitantis actionem exprimendo.

Philoſophiam ſi ex cognitionis rerum diverſitate potius, quam ex ipſarum rerum generibus partiamur, diviſerimus eam commode in partes duas: quarum altera ex mentis humanae, altera ex rerum corporearum notionibus proficiſcitur. Quidquid enim praeter corpora et mentem humanam cadit in cognitionem, id vel eſt harum rerum una quaepiam pars aut qualites, cogitando abstracta et ſeorſum ſpectata, ut figurae in Geomotria; vel ejusmodi aliquid, quod, ſicut Deus, et ex rerum natura eſſe colligatur, et quale ſit, ex natura mentis noſtrae intelligatur. Atque iſta quidem naturae corporum inveſtigatio, quae obſervationibus continetur, quae a ſingulis non niſi paucae, et in peranguſto rerum ambitu

 bitu

bitu fieri possunt, indiget plurium seculorum continuata diligentia, nec nisi cognitis iis, quae superioribus aetatibus animadversa et inventa sunt, locum habet. Nec tamen haec ipsa Physica, quae inter Philosophiae disciplinas vel maxime antiquitatis et rerum in suis finibus gestarum memoriam requirit, ad ultima temporum debet recurrere, quorum nec in observando diligentia valde illustris, et in explicando audacia conspicua fuit. Nec observationum antiquarum commemoratio ad historiam istius disciplinae magis, quam ad disciplinam ipsam pertinet. In altera autem Philosophiae parte, cui est hoc nomen quodammodo magis proprium, minus etiam opus est aliena ope. Non enim affert nova et inaudita, sed nota et obvia exponit: nec tam locupletat animum alienis divitiis, quam in ipso reconditas depromit et ostentat. Quid igitur? Ab Aristotele ego aut Platone petam, quod intra pectus meum geritur? Quae a me quotidie aguntur, ea qua ratione fiant, aliunde potius quam ex me discam? Aërem compressum summa vi niti ad se expandendum, id fortasse nunquam potui meis ipse oculis experiri. Ergo accipiendum erat ab Ottone ali-

quo

quo aut Boylio. Sed voluptate me affici, ubi ſit pulchritudinis oblata ſpecies: id ut cognoſcam, monitore fortaſſe opus eſt, qui meum animum ad hanc rem advertat, magiſtro quidem opus non eſt, qui doceat. Quid? Morum doctrina ſi tum primum nota nobis fieret, cum a Philoſophis traditur, nulla omnino eſſet. Ut enim ipſum vocabulum indicat, ſunt mores aliquid commune hominibus, impreſſum a natura, ejusque quodam impulſu effictum prius a nobis, quam intelligendo perceptum. Itaque rerum humanarum ſcientiae fons eſt intra nosmet ipſos: nec habet illam ſcientiam, qui non hauſit ex ſeſe. Ad eam conſequendam parum adjumenti alienarum ſententiarum cognitio affert, immo etiam plurimum impedimenti. Ad remota enim et longinqua avocat, opinionumque varietate diſtrahit animum, qui intra ſe continendus erat, et ad proxima intendendus.

Repudiemus igitur, dicat aliquis, totam illam eruditionis inanem ſupellectilem, praeſertim quae nimis magno conſtet. Quis enim homo non nimis tardus aliquod novum fabricandi mundi ſyſtema non aeque facile, majo-

rique cum voluptate ipſe comminiſcatur, quam Heracliti ψήγματα, aut Anaxagorae ὁμοιομερείας interpretetur? Si, ut belli ducibus imperatorum res geſtae, ita nobis Philoſophorum ſententiae cognoſcendae ſunt, eo conſilio ut contemplandis iis et cogitandis facultatem ſimile aliquid efficiendi comparemus: hac utilitate ſublata, etiam ipſum illud ſtudium tollendum eſt.

Verum non ita a natura decipimur, ut ad quod amplectendum illius quodam motu trahimur, id inane atque inutile putandum ſit. Atqui eſt ex hoc genere ſtudium cognoſcendae praeteriti aevi ſapientiae. Ut enim quisque in aliqua nobiliori ſive arte, ſive ſcientia plurimum ipſe profecit, ita etiam maxime avet cognoſcere, qui ante in eodem clari fuerint. Quid, quod a quibus noſtra et patrum aetate Philoſophia locupletata maxime eſt, ii ſtudii plurimum in ejus hiſtoria, maxime veteris, poſuerunt?

Atque ut aperiam jam, quid ipſe ſentiam, prodeſt iſtud ſtudium, praecipue quod antiquitati cognoſcendae tribuitur, plurimum quidem

ad alendum perpoliendumque ingenium, ſed aliquanto minus ad augendam ſcientiam. Et ad acuendum quidem ingenium non ita Philoſophiae veteris doctrina, ut Philoſophorum veterum lectio valet. Illa enim opiniones tantum et ſectae alicujus rationem tradit: haec magnorum virorum ingenium et pectus nobis patefacit. Fieri autem poteſt, ut ſententiae alicujus Philoſophi falſae ſint et ſubabſurdae, ſed ut in iis exponendis et defendendis maximo ingenio et ſumma ratione uſus fuerit. Platonis ego cum doctrinam expoſitam ab aliquo recentiori Philoſophiae Veteris ſcriptore lego: mediocriter afficior, et didiciſſe perparum, nec ullo modo ingenium aluiſſe mihi videor. At quantum et voluptatis, et fructus capio ex ipſa Dialogorum ejus lectione! Quam ab hominis ſermone abeo et ad excogitandum ſollertior, et ad eloquendum facundior! Atqui res et ſententiae ſunt utrobique eaedem: idem eſt utrumque corpus doctrinae. Sed inanimatum alterum et mortuum: in altero viget mens quaedam et ſpiritus divinior, praeſtantiae ſuae ſenſu animum afficiens.

Alit autem iſta lectio ingenium duplici modo. Primum ejus vim ſollicitat et elicit: deinde

deinde ſemina ipſi tradit et elementa cogitandi.

Prius efficitur conſuetudinis caeca quadam vi, ut imprudentes et vel inviti ſimilitudinem contrahamus cum iis, quibuscum diu verſati ſimus, praeſertim ſi in illis aliquid inſigne fuerit. Ita quem ſaepius adſpeximus alieni corporis motum inſigniorem, ad eum ſe noſtrum corpus, nullo juſſu noſtro, ſua ſponte componet: modo natura ſint ad hunc motum apta et habilia membra. Eodemque modo, cum cogitantem mentem aliquam praeſtantiorem quaſi coram conſpicimus, admittimurque ad praeclarum illud ſpectaculum animi in ipſa veri contemplatione deprehenſi: tum ipſi etiam nos, dummodo natura nobis largita ſit ingenium ad hoc exercitationis genus mobile, excitamur ad conandum, quod praeclare ab altero effectum videmus. Eſtque in hoc veriſſima ingenii exploratio.

'Ενθουσιασμὸν appellant poëtae concitatum quendam ingenii et animi motum, quo exorto, perinde a rebus quas ipſi ſingunt, ut a veris et praeſentibus afficiuntur, ut nihil deſit

neque

neque ad ſenſuum claritatem, neque ad motuum animi veritatem: unde novae tum rerum ſpecies ab animo, et in quaque re multa cernuntur, quae nunquam antea. Hunc nemini praeterquam ſibi unis attribuunt: hunc ajunt primum concipi legendis carminibus iis, quae afflatu illo excitatus poëta fudiſſet; negant a quoquam concipi, niſi cujus natura ad eandem praeſtantiam accedat. In quo quidem, quod praeclarum poëma ſine illo ἐνθουσιασμῷ ſcribi poſſe negant, ex vero judicant: quod philoſophum quamvis excellentem putant carere illo poſſe, falluntur. Nam quodcunque opus a mente proficiſcitur, ejus perfecta elaboratio deſiderat prorſus et ingenii ardorem in res enixe incumbentis, et quosdam pectoris motus conſentaneos rebus cogitatis, eosque ad cogitandi alacritatem conſervandam efficaces. Eſt hic ingeniorum ἐνθουσιασμὸς idem, quod in materie inflammabili flamma: eruptio virtutis latentis. Atqui materies flammam concipere, niſi alieni ignis appropinquatione aut contactu, non poteſt: mens et ingenium poteſt quidem, praeſertim jam exercitatum, etiam ſe ipſum ad cogitandum incendere: primum tamen fere ſe tum et agnoſcit, et exſe-

rit,

rit, cum alieni ingenii in opere aliquo praeclaro contemplatione excitatum fuerit.

Ut autem hunc fructum ex Philoſophorum antiquorum ſcriptis percipias, ad id minime ſatis eſt, hiſtoriae corpus aliquod aliena induſtria ex his ſcriptis collectum didiciſſe. Petendus enim eſt, non ex iis quae dicuntur, ſed ex ratione dicendi; non ex ſententiis, ſed ex forma et deſcriptione quaſi totius diſputationis: quae res, niſi legendo ipſo ſcriptore, intelligi non poteſt. Atque ut ingenium quodque eſt praeſtantiſſimum, ita maxime propria habet quaedam ſua quaſi lineamenta, quae in ejus operibus quibus impreſſa ſunt, facile a lectoris ingenio ſimili agnoſcuntur; per aliorum autem narrationes accepta, cum alienis confunduntur et diſpereunt.

Alter modus ingenii ex Veterum Philoſophorum lectione colendi, eſt in notionibus quibusdam principibus arripiendis, quas ipſi deinde perſequamur et evolvamus. Ut enim fecundiſſima terra gignere ex ſe nihil poteſt, niſi ſemen accipiat, in quo fovendo et nutriendo poſſit ſe iſtius fecunditatis vis exſerere: ſic in

ani-

animo ad gignendam ſcientiam, praeter intelligendi vim rationemque acrem et vigentem, etiam notionis alicujus primae in animum incidentis vis neceſſaria eſt. Quae quo eſt percepta in animo clarius, quo altius in eum quaſi penetravit: eo eſt et ad evolvendum facilior, et ad excitandam vim ingenii efficacior. Hoc autem lumen, haec vis propria eſt eorum, quae a magnis ingeniis dicuntur. Unde fit, ut ex horum lectione, quanquam ipſum diſputationis argumentum nec nobis probetur, nec magnopere nos moveat, tamen ſemper aliquid in animo haereat, quod eum ad contemplandum alliciat, et in quo perſequendo ejus etiam non volentis cogitatio defigatur. Fitque id ſaepe in iis, quae a ſcriptore dicta ſunt quaſi aliud agente. Ea ipſa enim de cauſſa, quia levius tacta ſunt, et indicata magis quam tractata, liberius in iis evolvendis, tanquam in re integra, verſatur lectoris ingenium. Quod ſi ulli, Leibnitio noſtro accidiſſe comperio. Qui ſi ſententias ſuas antiquis ita tribuit, quaſi plane et explicate ab illis traditas: certe vel modeſtiae ſuae obſequitur, vel invidiam avertere ſtudet. Sin hactenus, quod legens antiquos in tales cogitationes inciderit,

quae

quae ſe ad iſtas ſententias perduxiſſent: nihil a vero alienum dicit, cum et comparatio facta id arguat, et eadem res optimo cuique ingenio accidat. Ut enim dicam, quod ſentio, ad agitandum exercendumque ingenium videtur mihi Veterum Philoſophorum lectio fere accommodatior, quam recentiorum: idque ea ipſa de cauſſa, quod apud noſtros fere omnia jam et magis explanata, quaſique ad vivum reſecta, et argumentis firmioribus demonſtrata, et meliori ordine collocata deprehendas. Ergo in his ſanae doctrinae et ſcientiae plus. Sed quae ſcripta optime docent, non eadem aptiſſima ſunt ad ingenium exercendum. Non enim in accipiendo et diſcendo ingenium ita exercetur, ut cum ipſum per ſe aliquid anquirit et inveſtigat. Cui rei maxime locus eſt in legendo eo ſcriptore, cujus oratio et habeat plura quae inveſtigentur, et ad laborem quaerendi animum alliciat. Talis autem eſt optimus quisque antiquorum. Hi enim, ut propter ingenii praeſtantiam et orationis virtutes lectoris animum et cognoſcendi et inquirendi ſtudio accendunt: ita propter temporis conditionem veraeque ſcientiae penuriam pleraque vel obſcure, vel defunctorie tractant, ut maxi-

mam

nam inquirendi materiam lectorum diligentiae relinquant. Fit autem nescio quomodo, ut nihil magis allectet ad suscipiendum cogitandi laborem, quam siqua nobis ab alio tradita fit notio, dives et fructuosa illa, sed eadem complicata, ut nostro ingenio, nostrae sollertiae possit in ea evolvenda locus esse. Accedit, quod orationis et linguae diversissima indoles, augens difficultatem intelligendi, etiam diligentiam acuit, et in successu majoris quasi gloriae praemium proponit.

Hactenus de acuendo per Philosophiae Veteris studium ingenio. — At est in eo etiam scientiae aliqua pars, eaque praeclara. Primum ingeniorum humanorum dissimilitudines et in cogitando multiplices quasi formas, deinde progressionem et viam rationis hominum in cognoscenda veritate notamus. Quorum primum habet hanc vim, ut quid hominis naturae commune, quid nostrae proprium sit, discernamus; ut extrahamur ex his angustiis et loci, et temporis finibus, in quibus conclusi omnia ex nostrae aetatis vel gentis moribus, opinionibus, lingua metimur; ut capiamus denique varias quasi stationes, ex quibus na-

turam et res contemplemur. Alterum est historiae humanitatis praeclarissima pars. Quippe cum duo sint in homine, per quae omnia consecutus est, quibus vita ejus ornatur, scilicet ratio et consociatio civilis: alteram historia civilis, alteram historia Philosophiae amplectitur. Et societatis quidem tum conciliandae principia, tum conservandae firmamenta, tum constitutae casus fortunasque varias, quarum serie status rerum civilium is quem nunc videmus, est quasi devolutus; id omne historia civilis comprehendit. Rationis autem a sensu et motu animali ad scientiam progressionem, conclusae primum in quaerendis vitae necessitatibus; progredientis deinde ad constituendam ordinandamque societatem; mox, otio consecuto, ad contemplandam rerum mirabilium naturam evagantis; tum revocatae ad hominem, occupataeque in ejus et cognoscendis opibus, et ad usum beatae vitae administrandis; inde late diffusae, et pro temporum locorumque varietate vario modo affectae; rerum publicarum in quibus maxime vigebat, casu afflictae, obrutae victorum barbarie, linguarumque ruditate ac balbutie vel obmutescentis, vel perverse atque obscure loquentis; denique cum civitatum laetiori

statu

statu revirescentis, et ex schola in qua diu latuit, rursus in lucem vitae rerumque gerendarum protractae, in qua ejus antiquissimum erat domicilium: haec omnia Philosophiae historia sibi assumit et vindicat. Quae quamlibet sint per se praeclara et splendida, minus tamen haberent utilitatis, nisi ad cognoscendam singulorum hominum naturam aliquid conferrent. Nunc eodem fere itinere unusquisque nostrum a primae aetatis infantia et imbecillitate ad maturae aetatis prudentiam et vim pervenit, quo universum genus humanum a feritate et ignoratione rerum omnium ad cultum scientiamque profectum est. Quod igitur Plato facit, cum de eo disputat, quae virtus sit hominum singulorum justitia, et quid illis afferat ad beate vivendum, ut prius, quae sit justitiae vis in hominum societate, quaerat; (*) propterea quod esset promptior et distinctior partium in re grandiori animadversio: id etiam in caeteris ingenii animique virtutibus explorandis faciendum videtur. Ex historia humanitatis discenda est unicuique sui

 ipsius

(*) Morgenstern de Platonis Republ. hat diese Idee meisterhaft ausgeführt.

Anm. d. Herausg.

ipſius ingenii hiſtoria, praeſertim cum ejus aetatis, in qua natura maxime effinxit ipſius ingenium et pectus, obſcure admodum recordetur. Sic, ut hoc utar, qua ratione ex ſenſuum tam exiguo numero, tanta notionum oriri multitudo potuerit; quo eae ordine digeſtae et ſtructae ſint: id ex nobis ipſi intelligere non poſſumus. Etenim jam plenas et abſolutas reperimus illas tum, cum ad conſcientiam in mente actorum pervenimus. Linguarum autem, et artium ac diſciplinarum progreſſio conſimillima, ejusdem rei faciliorem habet obſervationem.

Atque in hoc genere induſtria doctorum hiſtoriae philoſophicae poteſt utiliter et cum laude verſari. Eſt enim magnifici hujus aedificii materies quidem partim in philoſophorum ipſorum, partim in hiſtoricorum aequalium ſcriptis; coagmentatio autem et exſtructio noſtra eſſe poteſt. Sed infelici fato factum eſt, ut cum et multi, et praeclari viri hoc ſtudium attigerint, tamen parum ad id quod modo explicavimus, ſit profectum. Nempe qui non ipſe habet ſatis ingenii et ſubtilitatis ad philoſophandum, is nec ſatis habet ad aliorum di-

ſci-

ſciplinas exponendas, praeſertim in iſta monumentorum vel penuria, vel mutilatione. Qui autem ſunt tali ingenio, ii vel ſunt ad laborem lectionis diuturnae perferendum languidi, vel, id quod ante dixi, iſta lectione magis utuntur ad excitandam rationem et in viam quaſi deducendam, quam ad hiſtoriae corpus conficiendum. Accedit, quod qui maximam induſtriam cum ingenio conjunctam ad hoc ſtudium attulerunt, omnem omnium aetatum populorumque ambitum amplecti voluerunt: quod arbitramur humanarum virium modum longiſſime ſuperare.

Initium autem puto equidem faciendum ab hiſtoria Philoſophorum, quorum exſtant ſcripta, quia de his et plurima, et certiſſima, et ad fructum uberrima dici poſſunt. Horum itaque libros eos, quibus ipſorum vel doctrina continetur, vel ingenium eluxit, in ejusmodi compendium cenſeo redigendos eſſe, ut omiſſis quae ſint ad ornatum, ipſae ſententiae atque argumenta nuda quaſi et pura exhibeantur, diſpoſita eo ordine, qui diſputationis vim maxime illuſtret, explanata iis verbis, quibus nos eadem cogitata exponeremus. Eſt enim

ipſius ingenii hiſtoria, praeſertim cum ejus aetatis, in qua natura maxime effinxit ipſius ingenium et pectus, obſcure admodum recordetur. Sic, ut hoc utar, qua ratione ex ſenſuum tam exiguo numero, tanta notionum oriri multitudo potuerit; quo eae ordine digeſtae et ſtructae ſint: id ex nobis ipſi intelligere non poſſumus. Etenim jam plenas et abſolutas reperimus illas tum, cum ad conſcientiam in mente actorum pervenimus. Linguarum autem, et artium ac diſciplinarum progreſſio conſimillima, ejusdem rei faciliorem habet obſervationem.

Atque in hoc genere induſtria doctorum hiſtoriae philoſophicae poteſt utiliter et cum laude verſari. Eſt enim magnifici hujus aedificii materies quidem partim in philoſophorum ipſorum, partim in hiſtoricorum aequalium ſcriptis; coagmentatio autem et exſtructio noſtra eſſe poteſt. Sed infelici fato factum eſt, ut cum et multi, et praeclari viri hoc ſtudium attigerint, tamen parum ad id quod modo explicavimus, ſit profectum. Nempe qui non ipſe habet ſatis ingenii et ſubtilitatis ad philoſophandum, is nec ſatis habet ad aliorum di-

ſci-

ſciplinas exponendas, praeſertim in iſta monumentorum vel penuria, vel mutilatione. Qui autem ſunt tali ingenio, ii vel ſunt ad laborem lectionis diuturnae perferendum languidi, vel, id quod ante dixi, iſta lectione magis utuntur ad excitandam rationem et in viam quaſi deducendam, quam ad hiſtoriae corpus conficiendum. Accedit, quod qui maximam induſtriam cum ingenio conjunctam ad hoc ſtudium attulerunt, omnem omnium aetatum populorumque ambitum amplecti voluerunt: quod arbitramur humanarum virium modum longiſſime ſuperare.

Initium autem puto equidem faciendum ab hiſtoria Philoſophorum, quorum exſtant ſcripta, quia de his et plurima, et certiſſima, et ad fructum uberrima dici poſſunt. Horum itaque libros eos, quibus ipſorum vel doctrina continetur, vel ingenium eluxit, in ejusmodi compendium cenſeo redigendos eſſe, ut omiſſis quae ſint ad ornatum, ipſae ſententiae atque argumenta nuda quaſi et pura exhibeantur, diſpoſita eo ordine, qui diſputationis vim maxime illuſtret, explanata iis verbis, quibus nos eadem cogitata exponeremus. Eſt enim

 aeta-

aetatum et linguarum ſua cujusque indoles: adeo ut quae uſitato nobis more dicta intelligimus, eadem ex alius vel gentis, vel aetatis ingenio expreſſa vix agnoſcamus; utque adeo, quae ſunt re et ſenſu eadem, ea nobis propter verborum diverſitatem inter ſe diſſidere videantur. Quare non, ut multos hiſtoriae philoſophicae ſcriptores feciſſe video, Philoſophorum verba transſcribi, ſed ſententiam exponi oportet. Alias accidit, ut vel ſenſus communis et vulgaris prudentiae dicta inter ſectae alicujus doctrinas proprias numerentur, vel ſententiae, quae in ipſorum Philoſophorum libris et planae videbantur, et probabiles, quia verborum obſcuritatem, ſiqua erat, caeterorum lumen diſpellebat, reique παραδοξίαν argumentorum ſpecioſa fides minuebat, eae reſectae a toto orationis corpore, ob id ipſum quod eadem verba ſervata ſunt, et obſcuriſſimae videantur et abſurdae.

Hujus itaque compendii ex Veterum Philoſophorum ſcriptis adornandi periculum faciamus in Platonis Theaeteto interpretando, Dialogo et argumenti gravitate, et diſputationis ſubtilitate inſigni.

Theo-

Theopompus interrogatus a Socrate de indole discipulorum scholas ipsius frequentantium, Theaetetum quendam admodum adolescentem ait caeteros omnes antecellere: esse enim in eo conjunctas duas virtutes, quae disjunctissimae esse soleant, ingenii alacritatem cum lenitate quadam et constantia. Quibus ille verbis perfectam ingenii ad Philosophiae studium temperati imaginem depinxit. Etenim cuique ingenii facultati eminentiori adjuncta fere est cupiditas vehementior ea efficiendi, quae sunt facultati isti proposita: cum cupiditate autem omni solet ejus comes adesse levitas animi gestientis, quae nisum nec aequabilem sinit esse, nec perseverantem. Atqui exsultantis ingenii ille impetus aliquando potest in gerendis negotiis prodesse: potest fortasse etiam ad excogitandas res celeritatem, ad eloquendas vim et sublimitatem afferre: ad inveniendum autem verum ejusque rationem perspiciendam valere non potest: quin si forte in verum inciderit (ut videmus antiquis multa in mentem venisse, quae a recentioribus inventa et demonstrata sunt) id ut casu oblatum arripuit, ita facile deserit, ejus et rationem et usum ignorans. In quo autem homine tum

 vis

vis animi vegeta est, et firma rei apprehensio, tum studium moderatum et quietum, is ad verum videndum tenendumque aptissimus.

Theaetetum igitur hunc Socrates exploraturus, vocatum ad se rogat, quid sit scientia. Quae quidem quaestio erat ex insignioribus antiquae Philosophiae, et plus aliquanto complectebatur, quam scholarum nostrarum illius tractatio arguit. Nos ubi de scientia loquimur, spectamus duntaxat modum, quo nacti sumus cognitionem. Qui si est in usu et imitatione, cognitionem ipsam vel experientiam, vel artem appellamus, prout vel vulgaris est, vel recondita. Sin est in rationibus quibusdam et conclusionibus, scientiam appellamus. At Veteres Philosophi etiam res spectabant, quae subjectae scientiae esse possunt. Etenim scientiae proprium id esse putabant, quod non solum vera, sed etiam semper aeque vera esset. Verum autem est, quod cum re consentit. Quod ergo semper verum esse debet, id a re, quacum semel consensit, nunquam debet posse dissentire. Id autem locum non habet, nisi in re, quae nunquam a se ipsa dissentiat, id est, quae aeterna sit et im-

mu-

mutabilis. Quo pacto huic de ſcientia disputationi adjuncta erat quaeſtio, quid in rebus conſtans et permanens eſſet, quid mutabile et tranſiens.

Theaetetus primum ita ſcientiam definit, ut enumeret rerum genera, in quibus poſſit verſari. Quod cum Socrates redarguiſſet, explicata ratione obſtetriciae ſuae artis, qua uſus poſſet ipſe pariendi exſors, tamen alios ſcientia gravidos, partu levare, quodque procreatum ſit, examinare, ut, ſi genuinum eſſet repertum, id ali et educari, ſin autem inane ac ſpurium, id abiici juberet: tum Theaetetus bono animo ad novum certamen accedens: In omni ſcientia, inquit, eſt aliquid perceptum: perceptio autem eſt in ſenſu: ſcientia igitur ſenſus eſt.

Praeclara reſponſio, inquit Socrates. Conſentit enim cum ſummorum virorum ſententiis; primum Protagorae, qui unumquemque hominem ſuae ſibi veritatis modulum eſſe dixit; deinde Heracliti et aliorum Phyſicorum, omnia eſſe in motu dicentium. Primum enim, ſi in ſenſu eſt ſcientia; ſcientia autem non eſt niſi

 veri,

veri, sequitur, et res quae sentiantur, esse, et esse tales, quales sensu judicentur. At earundem rerum alii sunt apud alios homines sensus. Ut ergo sensibus sua constet veritas, quaerendus est modus, quo fiat, ut de eadem re diversi et interdum contrarii sensus veri sint. Nimirum id fiet ita, si nullum sit verum in re, nullum commune omnibus quasi exemplar propositum, ad quod quo propius cujusque sensus vel opinio accesserit, eo sit verior: sed verum sit proprium unicuique et suum, situm in rei cujusque cum ipso homine quasi opportuna conjunctione.

Deinde si res quaeque est id, quod in sensu aut cogitatione animo obversatur: cum sensus aliorum hominum, et eorundem aliis temporibus alii sint: dicendum est, res ipsas fluctuare; nullam rem esse unam, sed omnes varias et multiplices; nihil posse ullo certo nomine appellari, nec ullam ulli rei proprietatem esse tribuendam. Ergo nihil est, quod rerum naturam magis definiat quasi et constituat, quam motus. Atque hanc opinionem Socrates ait confirmari eo, quod res omnes ex motu et nascantur et conserventur, quiete vero

et

et inertia corrumpantur et pereant. Sic ignem, in quo celerrimus motus ſit, alere et animantia, et quae ex terra gignantur. Mentem vero doctrina et exercitatione, in quibus ſit quaedam motus ſimilitudo, praeſtantiorem fieri; negligentia et deſidia, quae ceſſatio animi ſit, deteriorem.

Ut igitur jam, quae de genere univerſo dicta ſunt, ad ſpecies deducamus: color nec ineſt rebus iis quae cernuntur, nec oculo qui cernit. Nam et eadem res objecta variorum hominum oculis, alio atque alio colore tincta illis apparet: et ejusdem hominis oculi conjecti in varias res, alium atque alium colorem percipiunt. Ergo color eſt aliquid inter utrumque horum, et rem adſpectabilem et hominem ſpectantem, velut in medio poſitum, pertinens ad genus id, quod ex duarum rerum, agentis alterius, alterius patientis, concurſu naſcitur. Quod genus latiſſime patet, (eſt enim τῶν πρός τι) verſaturque in rerum nominibus et attributis iis, quae non niſi quatenus illae cum aliis comparantur, locum habent: unde variant pro earum rerum, quibuscum comparantur, varietate. Hujus generis eſt majus

jus et minus. Qui enim v. c. altero ſtatura procerior erat, poteſt eodem brevior fieri, quanquam nihil ipſius magnitudine imminuta, ſi alterius creverit. Ergo quod difficillimum videbatur in explicanda ſentiendi ratione, cur eadem res alio tempore alia ſenſu judicaretur: id occurrens in alio genere, vix animadverſione dignum putatur. Puerilis enim plane quaeſtio haec eſt: binarius, qui major eſt unitate, quomodo poteſt ipſe, nihil mutatus, minor evadere, ſi ad iſtam unitatem duae aliae acceſſerint? At quae hic in promtu eſt reſponſio, nec majorem eſſe ullam quantitatem, nec minorem, niſi comparatam, nec ad magnitudinis appellationem referre duntaxat, quanta quaeque magnitudo ſit, ſed etiam cum quanta conferatur: eadem etiam valebat de caeteris omnibus rei attributis ſenſu perceptis, quae in re non mutata, varia et contraria comperiuntur. Nimirum haec non intelligi, niſi in quadam rei ſenſae hominisque ſentientis inter ſe comparatione; nec, ut hoc utar, album aliquid eſſe, quia tale ſit, ſed quia tale talibus oculis ad ſentiendum offeratur. Rei naturam et inſtrumenti ſenſus conſtitutionem

con-

concurrere ad gignendum id, quod ſenſu moti rebus tribuamus.

(Atque in hoc loco ſubſiſtamus paulliſper, et videamus, quam facile ſit in Philoſophis antiquis interpretandis falli ſententiae notae peregrino quaſi amictu et cultu, praeſertim in eo ſcriptore, qui pro ſuo ingenio ad imagines fingendas habili, quod habet conjunctum cum ſumma in inquirendo judicii ſubtilitate, ſoleat iis quae antea mente et ratione comprehendit, ſubſtantiam aliquam et quaſi corpus etiam extra mentem tribuere. Plato igitur, quae modo a nobis ſunt expoſita, ſic eloquitur: Oculo accedente ad rem adſpectabilem, ex utriusque concurſu gigni colorem et viſionem: hanc in medio utriusque naſci, ex commiſſione quadam eorum, quae partim ab oculis, partim a re viſa proficiſcantur. Haec verba ſenſum prae ſe ferunt obſcurum et prope abſurdum; reconditum habent et perſpicuum et probabilem, quem facilius intelligas expoſitum verbis Philoſophiae noſtrae magis conſuetis, hunc in modum. Quidquid ſenſu percipitur, id nec ineſt rebus iis, a quibus ſenſus moventur, nec naturam illarum rerum declarat: ſed eſt ab earum actione tanquam a cauſſa effectum,

unde

unde nihil animo nisi rerum ad nos quandam relationem patefacit. Atqui ex his quae sensu percipimus, et ideas rerum effingimus, et nomina iisdem tribuimus, quorum in cogitando et ratiocinando is usus est, ut locum quasi teneant rerum ipsarum. Quod autem rei non tribuitur nisi quatenus refertur ad aliam, id non rei ipsi antea infuit, sed oritur quasi tum primum, cum altera res ad alteram accedit. Quae ergo sensuum judicio rebus tribuimus, tum nasci dicenda sunt, cum sensus afficitur. Nempe res externa impulsione movet corpus: eo motu affectum quodammodo corpus animum porro afficit: hujus affectionis in animum impressae perceptio sensus est. Nihil autem in re movente simile potest esse ejus affectionis, quae locum habere, nisi in humano sive corpore, sive animo, non poterat.

Haec jam si quis ita enunciet, quasi ideae in animo effictio naturae novae procreatio sit, reique cogitatio res ipsa: tum is profecto haud longe a sententiis istis aberit Platonis et Protagorae: rem esse nullam, omnia nasci, ortum et interitum, nec praeterea quidquam esse: rei sensae qualitates nasci ex ejus coitione et connubio quodam cum re sentiente.

Sic,

Sic, quae dicta de ideis a ſenſu natis, probabilia judicantur, et vulgo nota ſunt, eadem ad res ſenſas translata, inaudita et abſurda videntur.

Porro illud alterum de numeris et magnitudine a Platone allatum, ſi ſpectes per ſe ipſum, et alienum a re propoſita, et inanis argutiae plenum dicas. Quid enim eſt nodum in ſcirpo quaerere, ſi hoc non eſt, mirari quod res eadem cum aliis atque aliis comparata, et major, et minor appellanda ſit? Numquid inconſtantia ſenſus habet commune cum hujus appellationis varietate? At idem hoc et conſequens, et non vulgare, ſpectatnm ſimul cum caeteris. Hoc ſcilicet agitur, ut probetur, de rebus ipſis nihil ſenſum nos docere, niſi earum aliquam ad nos relationem. Cui rei illuſtrandae perquam aptum eſt exemplum de numeris, in quibus id, quod in priori re obſcurius erat, clare patet: ſi quod rei nomen et attributum deſumtum ſit ex genere τῶν πρός τι, (ut illud majoris,) ejus etiam contrarium eidem rei in eodem ſtatu perſeveranti ſubinde tribui poſſe. Unde rurſus intelligitur: quodcunque rebus ita tribuatur, ut idem de iisdem non mutatis

ne-

negari possit, id pertinere ad genus τῶν πρός τι. Qualia cum, ut diximus, sint ea omnia, quae sensibus percepta rebus tribuimus: concluditur, non rerum naturam propriam, sed earum quasi ad nos habitum quendam sensu cognosci. Sed redeamus ad Socratis disputationem.)

Ab ista igitur et sensus veritate, quam Protagorae auctoritas confirmat, et ejusdem inconstantia, quam experientia docet, eo res deducitur, ut statuendum sit, universum hoc, (i. e. omne id, quodcunque cogitatione aliqua comprehenditur,) motum esse. Motus autem est duplex, alter rei agentis et efficientis, alter patientis et subjectae. Conjuncto utroque motu, oritur simul et sensibile, et sensio. Inde fit, ut et unicuique sensui respondeat unum aliquid in rebus, ut visioni colores; nec alterum sine altero possit ullo modo esse. Horum sensuum qui sunt velociores et agiliores, eorum etiam eminus motus cientur, ut oculi procul remota vident; qui tardiores et magis inertes, ii nonnisi cominus et contactu moventur, ut gustus. Quodsi oculi fabrica et constitutio ea, quae necessaria est ad albi coloris

mo-

motum recipiendum, accedit ad rem adſpectabilem ejus naturae, ex qua motus ille oriri poſſit: tum exiſtit color albus, et res dicitur colorata eſſe, nos dicimur colorem ſentire. Quamobrem quae ſenſu percipiuntur, ea non niſi quatenus agunt et efficiunt aliquid in nobis, ab animo comprehenduntur. Efficientis autem rei notio nulla ſeparata eſt a notione rei effectae. Ergo quae ſenſu percipiuntur, ea ſola in ſe nec eſſe, nec intelligi, nec ullo nomine appellari poſſunt.

(Ex ejusmodi argumentatione aliqua putem ego Leibnitium profectum, ad celebrem illam ſententiam deveniſſe: ſubſtantiam vim eſſe. Vidit ſcilicet, rerum naturam quae a nobis appelletur, eſſe ſummam qualitatum quae illis tribuantur; has qualitates quatenus a nobis percipiantur, eſſe effecta rerum in animum agentium: nihil igitur intelligi in rebus per ſe ſolis ſpectatis, niſi vim iſta in animo producendi.)

Huic autem doctrinae conſequentem eſſe viſorum omnium veritatem, patet. Nihil enim in rebus praeter actionem in nos influentem

cognoſcitur. At actio earum eſt in illa ipſa imagine efficienda, quae animo obverſatur. Ergo viſum ſemper ſiſtit animo iſtam actionem, extra quam aliud genus veri nullum eſt, quod cadat ſub comprehenſionem mentis noſtrae.

Quae autem cum hac ſententia videntur pugnare, ſomniantium, delirantium et aegrotorum viſa, (quippe quae tum a caeteris, tum ab ipſis vel evigilantibus, vel ex morbo convaleſcentibus, ut falſa agnoſcuntur et repudiantur) ea tantum abeſt ut cum illa pugnent, ut hac ſumta, iſta omnia neceſſario ita ſe habere intelligantur. Si enim viſum eſt motus nobis impreſſus a rebus externis, motus autem omnis partim a vi moventis, partim a natura moti corporis pendet: neceſſe eſt viſum variari dupliciter: et re alia objecta, et ſenſus inſtrumento alio facto. Porro ſi ſenſus a natura rei duntaxat effingeretur: ab eadem re ſemper idem eſſet. Quia autem trahit ſemper aliquid ex ipſius hominis natura, ſuntque in omni viſo quaſi confuſae ac commiſtae inter ſe duae imagines, una rei externae, altera ſtatus corporis: neceſſe eſt mutato corporis habitu, etiam ſenſum mutari. Ejusdem vini ſapor So-

crati

crati aegroto amarus, qui valenti dulcis. Recte utrumque. Nam eadem vini vis alium Socratem offendens, alios in eo motus excitavit. Nec dulcedinis ſenſus magis conſentaneus eſt corpori bene ſe habenti, quam amaritudinis affecto. Sed ille hactenus verior habetur, quod cum et plures, et diutius ſani ſimus, quam aegroti: corporis bene valentis a vino affectio et frequentior eſt, et conſtantior.

(Notetur hic diſputationis Socraticae a propoſito aberratio quaedam. Propoſuerat enim triplex genus viſorum, in quibus falſitas et error agnoſceretur, aegrotorum, ſomniantium et delirorum. Quae autem contra dicit, pertinent duntaxat ad unam ſpeciem aegrotorum. Somniorum enim et deliriorum vanae imagines, non a ſenſu aliter affecto, ſed ſine ulla ſenſus affectione oriuntur. Niſi forte illud dicere voluit, etiam horum imagines extrinſecus afferri, ſed corporis ſtatu a naturali alieno depravari et variari.)

Ex his denique univerſis concluditur, rei ſenſae qualitatem et animi ſentientis affectionem ita inter ſe colligatam eſſe, ut neutra ſine

altera esse queat. Nam neque cernere aut olfacere sine colore aut odore quisquam potest, neque color aut odor inest rei, ante quam sit visus aut olfactus, quippe situs in ea ipsa actione qua sensus movetur. Ὥςε εἴτις εἶναί τι ὀνομάζει, ἢ τινὸς ἢ πρὸς τὶ ῥητέον αὐτῷ εἴτε γίγνεσθαι εἴτε εἶναι. Αὐτὸ δὲ ἐφ' αὐτοῦ τὶ ἢ ὂν ἢ γιγνόμενον οὐδέν. Ita ergo inter se consentiunt Protagorae homo veritatis suae moderator, et Heracliti rerum omnium fluctuatio, et Theaeteti scientia sensuum.

Haec ad explicandam hanc et comprobandam sententiam Socrates dixerat, ut melius intelligerentur, quae contra dicturus esset. Convellit autem illam quatuor argumentis.

Primum: si sensus veritatem docet, cum nemo sit, qui sensum non habeat, nihil interest inter sapientem et stultum. Quin stupidissima bruta, cum hominem sentiendi acumine vel aequent, vel superent, necesse est vel non minori, vel majori scientia praedita sint, quam vel sapientissimi hominum. Non igitur sibi constat Protagoras, qui negans rectius quidquam a se sciri, quam ab ullo alio, tamen

sa-

ſapientiae ſe magiſtrum profiteatur. Stulti etiam caeteri omnes, qui illud verum quod affatim apud ſe ipſi habebant, aliunde petant.

Secundum: linguae peregrinae vocabula ſcripta cernuntur, pronuntiata exaudiuntur ab omnibus: nec tamen ab omnibus intelliguntur, praeterquam ab iis, qui eam linguam callent. (Hoc in rē levi et obvia notatum, latius patet, et ad maxima quoque pertinet. Perſpicitur nempe, ineſſe in rebus praeter id, quod in oculos et aures incurrat, etiam aliquid interius et magis reconditum, non ſenſu, ſed ratione accipiendum: quo careant ii, qui praeter ſenſum aliam viam ad cognitionem habeant nullam.)

Tertium: ſi ſenſus eſt unus modus rerum intelligendarum: non niſi praeſentium et quaſi coram adſtantium cognitio eſt. Unde nec memoria, nec reliquae facultates locum habent, quibus vel praeterita, vel procul conſtituta, quae nunquam oculis aut ſenſu alio uſurpavimus, animo comprehenduntur.

Quartum: ſi opinio ſua cujusque vera eſt, etiam eorum vera eſt, qui contra quam Protagoras judicant, (qui ſunt praeter eum fere omnes) ſi verum ipſi teneant, fieri non poſſe, ut non

caeteri, qui aliter exiſtiment, in errore verſentur. Etenim qui ab aliquo diſſentiunt, iis videtur non modo ſua ſententia eſſe vera; ſed etiam neceſſario falli alter ab ipſis diſſentiens: quorum utrumque vere exiſtimant, ſi omnis omnium opinio vera eſt. Denique ſi veritas eſt ſua cuique, plurimorum veritas veriſſima eſt. Quod ſi valet, cecidit profecto cauſſa Protagoras.

Primae reprehenſioni Protagoras, aut qui rurſus ejus partes tuetur, Socrates occurrit perquam acute, hunc in modum. Eſt ita omnino: veritate hominum opiniones nihil inter ſe differunt: nec tamen ideo nihil inter ſapientem et ſtultum intereſt. Vt inter hominem ſanum, qui cibos dulces, et inter aegrotum, qui amaros eſſe judicat, plurimum intereſt: non profecto quod ille verum videat, hic erret: alterius enim voluptas, alterius taedium aeque apta ſunt ex cujusque corporis conditione et ſtatu: ſed quod alterius judicium eſt cum jucunditate conjunctum, alterius cum moleſtia. Et ideo bene feciſſe creditur, qui ſanavit aegrotum, non quod errorem ei, ſed quia dolorem detraxit, nec quod ei guſtum et reliquos

ſen-

ſenſus veriores, ſed quia jucundiores reddidit. Atqui quae partes ſunt medici in corpore, eaedem ſapientis in animo curando. Sunt unicuique ea, quae ipſe opinatur, vera, nempe apta ex natura et rei cogitatae et ſua: ſed non unicuique utilia aut jucunda. In quo enim animo omnia bene conſtituta et ſana ſunt, in eo quae opiniones naſcuntur, eae nihil perturbationis, nihil aegritudinis, nihil timoris afferunt, ſed ſunt placidae, jucundae, efficientes bonae beataeque vitae; in quo autem animo aliquid eſt mutili, perverſi, aut male affecti, ejus judicia non falſa, ſed mala et ipſi perniciosa, plena turbarum, aerumnarum, terrorum. Quamobrem ſapientiae doctores ſummis et laudibus, et praemiis digni, qui ut medicus corporis, ita ipſi animi eum habitum, qui moleſta et perniciosa efficiat ejus ſenſa et judicia, amovent, reducuntque alterum illum, in quo jucunde ſemper et ad ſui conſervationem appoſite moveatur ſive a rebus externis, ſive a ſua ipſius vi et agitatione. Idem valet de ſapientia civili et legislatoria, quae non hoc ſibi arrogat, ut juſtiora doceat cives: eſt enim in unaquaque republica juſtum quod univerſis civibus videbatur: ſed contenta

 eſt

est hac laude, si praeparet et constituat animos civium tales, quibus eadem justa videantur, quae sint utilia.

Alterum argumentum ex eo ductum, quod memoria rei absentis eandem scientiam in animum reducat, quae antea fuisset sensu percepta, sic tentatur, ut negetur, memoriam esse ejusdem hominis de eadem re eandem cogitationem, quae fuisset in sensu. Nam et eum qui meminerit, alium esse ab eo qui sensisset, quippe multis interea homini vel adjunctis, vel detractis; deinde ipsas illas animi sentientis et recordantis actiones longe inter se diversissimas esse. — (In qua quidem argumentatione si quid est sani sensus, illud est, quod postea Epicurus in suam disciplinam translatum planioribus verbis exposuit: recordationem scilicet omnemque rei cogitationem, ex nova quadam rei ejusque imaginum impulsione oriri: adeoque sentiendi formam aliquam esse. (Hoc enim proprium est sensus, ut non sit interna mentis agitatio, sed externa concussio a re praesenti atque animum pulsante.) Quae quidem sententia quomodo connexa sit rei propositae, facile intelligi-

ligitur. Si enim visi veritas continetur eo, quod consentaneum sit et rei occurrentis et hominis ipsius naturae: in caeteras animi cogitationes nulla cadit veritas, nisi etiam ipsae fuerint impressiones effectae in animo ab ea re, quae tum animo sit objecta. Quodsi veritas visi alicujus definiretur ejus cum re similitudine: non praesentiam rei et factum nunc ab ea impulsionem requireret; nec ideo falsitas et error excluderetur. At cum veritas ponatur in aptitudine quam effectum omne habet ex sua caussa: primum omnis opinio, ut locum habeat, debet a re quadam praesenti effecta esse; deinde opinio quaecunque necessario vera est, quia effectum congruere necessario debet suae caussae. Quare qui verum aut justum omne ex hominum opinionibus metiuntur, ut Philosophus quidam Francogallus, Helvetius, ingeniosus ille quidem et disertus, at in sententia sua tuenda magis fortasse quam in explorando vero diligens: iis necesse est opiniones videri impressiones factas a rebus externis, et a suo cujusque corpore. Itaque is quem nominavi, statuit animi facultatem unam sentiendi, caeteras nihil nisi varios illius modos esse.

At quum iterum cum Protagora congreditur Socrates, [illegible] iisdem armis, quibus antea [illegible] defenderat. Quo enim argumento [illegible] Protagoras, veritatis discrimine sublato, nec tamen discrimen quod inter sapientem et stultum intercedit: in eo ipso rem aliquam esse [illegible], in qua sit alterum altero verius. Sic enim statuebat: calida quidem et dulcia ea esse, atque in tantum esse, quae cuique quantumque videantur: conducentia autem corpori et noxia, non quae unicuilibet, sed quae medicae artis perito. Eodemque modo justa esse cuique civitati, quae sint ejus legibus sancita; utilia non item. In illis dijudicandis nihil sapientiam praestare, quippe omnibus pariter ex sua natura et conditione statuentibus; in his plurimum.

Videntur ergo isti philosophi, quanquam in caeteris rebus maximo animo admirabilique audacia fuerint ad oppugnandum suum ipsorum et omnium hominum communem sensum, in hac tamen una re victi naturae imperio et evidentiae vi, noluisse huc procedere, ut etiam utile cuique id esse affirmarent, quod cuique tale videretur. Sed rerum utilitas, in qua ju-

di-

dicanda nemo aufus eft negare, aliquod effe difcrimen veri et falfi, cernitur in futuro quodam illarum effectu. Locum igitur hoc difcrimen habet in genere toto rerum futurarum judicando. Quid igitur, dicat aliquis Protagorae, cum tu hominem quemque fuae veritatis modulum effe dixifti, utrum etiam dixifti femper futura effe, quae is futura effe opinetur? Ut enim fit rei veritas in qualicunque motu animi a re praefente affecti: non tamen reperietur illa in omnibus iis judiciis, quae rei praefentiam et impulfionem praecedant. Videmus enim, etiam eorum, quorum fenfus res praefens eodem modo afficiat, opiniones de futura eadem diverfiffimas effe. Cumque omnes et finguli recte percipiant voluptatis vel taedii fenfum a rei praefentis incurfione allatum: pauci tamen funt, et in quaque re ii duntaxat, qui periti et fapientes dicuntur, qui antea quam res fubjecta fenfibus fuerit, recte praevideant, qualis motus ab iis oriturus fit, jucundus, an moleftus. Si quis febri correptus, fanguinis calorem fentiat: is nunc calere fe quam veriffime novit. At hunc fe calorem fenfurum effe, antea ipfe cum aliis, excepto medico, aut nefciebat, aut non putabat.

bat. Vinearum colendarum peritus, ex caeli temperie ſolique natura judicat, vinum dulce fore quod ille locus vitibus conſitus extulerit. Caeteri fortaſſe aliter opinantur. At his ipſis dulce videbitur, cum guſtabunt. Atqui vinum eſſe dulce, verum eſt iis, quibus ſentiendo tale videtur. Ergo errabant illi, qui acerbum ſibi vinum viſum iri putabant; verum viderat ille unus, cujus conſenſurum erat cum ſenſu antegreſſum judicium.

Jacet igitur Protagorae ſententia convulſa in caeteris rebus, quae in cogitationem et judicium cadunt; ſtat in uno earum genere, quae praeſentes in corpus noſtrum agunt.

Sed eandem rurſus aliunde impugnemus. Conjunctam enim eam diximus cum perpetuo rerum omnium motu ab Heraclito et antiquiſſimis credito. Videamus igitur, quae ſit iſtius motus natura.

Motus omnis eſt rei vel ex loco alio in alium, vel ex conditione alia in aliam tranſitio. Quod ſi jam omnia omnimodo moventur, neceſſe eſt, ut ſingula quaeque ſemper et loco transferantur, et affectionibus mutentur. Er-

go

go nec res ſenſa, nec homo ſentiens, nec actio ea ipſa, qua res et homo inter ſe copulantur, ne puncto quidem temporis perſiſtunt eadem. Unde tollitur iſta ipſa veritas, quam poſuimus in ſenſu. Qui enim fieri poſſit, ut vere dicam ſentire me aliquid, cum jam in eo ipſo temporis momento quo dicam, et ipſe alius factus ſim, et res alia, et ſenſus alius? Itaque dum eam ſcientiae definitionem, quae ſenſu illam ponit contineri, defendere ſtudemus, incurrimus in aliam conjunctam ſententiam abſurdam, qua omnis plane ſcientia tollitur.

Deinde, oculisne videmus, an per oculos? Utrum ſenſus inſtrumenta habent ipſa vim ſentiendi, an ſunt potius meatus quidam, per quos externarum rerum motus ad internum aliquid et commune propagatur? Oculis allabuntur colores viſibiles, ſoni inauditi. Aures a ſonis moventur, a luce et coloribus ne leviſſime quidem ſtringuntur. Si oculus eſt qui colores cernat, auris quae ſonos audiat: nusquam quidquam eſt, quod utrumque ſimul ſentiat. At idem eſt in nobis, quod ſentit colores, et quod judicat, eos a ſonis diverſos eſſe.

esse. Quomodo autem, nisi utrisque ab hoc uno perceptis et inter se comparatis? Ergo nec cernit oculus, nec audit auris: sed est aliud aliquid, ab utroque diversum illud, quod et cernat per oculos, et audiat per aures, et sentiat per omne corpus voluptatem vel dolorem. Atqui hanc vim sentientem, quae varios motus per varias corporis partes allatos, et omnes una recipiat, et se recipere sentiat, et sensos inter se comparet, eorumque similitudinem vel dissimilitudinem agnoscat, mentem esse et appellari, inter omnes convenit, eandemque esse, quae mutationum caussas anquirens, et antegressiones ac consequutiones intelligens, de rerum natura et essentia judicet. Haec intelligendi facultas acuitur et doctrina, et exercitatione, cum sensus doctrina nulla sit, exercitatio perexigua. Quoniam igitur scientiae plurimum affinitatis est cum iis rebus, quas non sensu, sed mente diximus comprehendi: sedem suam scientia et domicilium debet in mente habere, versarique non in motibus iis, qui aliunde allati vel invitis nobis imprimuntur, sed in rationibus, quae a nobismet ipsis consulto et de industria ex istis motibus colliguntur.

Haec

Haec eſt diſputationis Platonicae de ſcientia pars prima: alteram in aliud tempus differemus. Nunc ipſam quaeſtionem *de ſenſus veritate*, unde orta ſit, quot variis modis tractata, et quo Philoſophos deduxerit, videamus.

Antiquiſſimis temporibus Philoſophi omnes, item ut nunc ii, qui naturae motum ſequuntur, nec ultra ſenſum communem et naturales notitias argumentando proceſſerunt, ſenſibus fidem ſine ulla dubitatione habebant. Iidem, nullo ſentiendi cogitandique diſcrimine poſito, mentis omnem vim ſenſus acumine concludebant. (*)

Sed iſta perſuaſio mox infirmata eſt, eo maxime, quod varietas animadverſa erat in viſis ab eadem re profectis, quia et hominis ejusdem diverſis temporibus, et diverſorum hominum eodem tempore ſenſus diverſiſſime ab eadem re afficerentur. Nondum illi de ſen-

ſus

(*) Offenbar ſind hier die philoſophirenden Dichter oder die dichteriſchen Philoſophen v o r Xenophanes, Parmenides etc. zu verſtehen. Denn ſchon dieſe genannten leugneten die Zulänglichkeit der Sinnenerkenntnis zur Wahrheit gradehin.

ſus fallacia quidquam ſuſpicati, hanc ejus inconſtantiam ac vacillationem rebus ipſis tribuerunt; res et multiplices quodammodo et continuo mobiles fecerunt, ſenſus omnimodam veritatem retinuerunt. Hinc duplex illa ſententia, neque ullam rem magis eſſe hoc quam illud, et omnes res fluere. Sed in hac ipſa ſententia nec firmi, nec ſecum ipſi conſentientes erant. Nam quod fieri ſolet in rei cognitione obſcura, ut etiam oratio quaſi fluctuet, nimirum quod animus ipſe ſuſpectam habens judicii ſui veritatem, amplecti quodammodo vult oppoſitorum utrumque: idem illis quoque accidit. Quare mox perinde loquuti ſunt, ac ſi ipſis rebus tribui ſimul poſſe contraria judicarent, nec duobus momentis ullam earum partem eandem remanere: mox viſi ſunt hoc totum trahere ad rerum imagines in mente depictas. Quae cauſſa eſt, cur ii qui antiquiſſimorum ſententias narrant, in ejusdem ſententia narranda plurimum inter ſe diſcrepent, ut in Empedoclis: qui ab alio (*) dicitur omnia ſen-

(*) Ariſtot. de Anima L. III. Cap. 3. Καὶ οἵ γε ἀρχαῖοι τὸ φρονεῖν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ταὐτὸν εἶναί φασιν

ſenſibus tribuiſſe, omnes mentis cogitationes, omnemque veritatem quaſi alligaſſe rerum externarum praeſentiae; ab alio (**) rurſus dicitur intelligendi quoque propriam facultatem et viſorum dijudicationem aliquam et dilectum admiſiſſe. Idem in Protagorae et aliorum ſententiis videre eſt, contra quos diſputat Ariſtoteles Metaphyſicorum L. III. C. 4. Ait enim hos credidiſſe, aliquid poſſe ſimul et eſſe, et non eſſe. Iisdem et ipſe, Cap. 5. et Plutarchus contra Colotem, et caeteri fere omnes nihil tribuunt, niſi opinionem de ſumma partium in quaque re multitudine et varietate, quarum cum aliae aliorum hominum ſenſibus magis expoſitae ſint, efficiatur, ut tota res aliis alia appareat.

At

φασιν, ὥσπερ καὶ Ἐμπεδόκλης εἴρηκε. Πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἀέξεται ανθρώποισι. Id Metaph. L. III. c. 5.

(**) Sext. Emp. Libr. VII. contra Mathem. Ἄλλοι δὲ ἦσαν, οἱ λέγοντες κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα, κριτήριον ἐιναι τῆς αληθείας οὐ τὰς αἰσθήσεις, ἀλλὰ τὸν ὀρθὸν λόγον.

At cum primum aucta philoſophando eſt ſubtilitas cogitandi, et rerum hominisque naturæ diligentius coepta explorari: perſpecta et repudiata eſt opinionis illius abſurditas, ſenſibus veritatem, rebus ipſis omnes cogitationum diverſitates ac variationes attribuentis, diſcrimenque factum inter res et viſa, ut inter efficientia et effecta.

Atque in hanc ſententiam, ut vel ex noſtro Platonis Dialogo perſpicuum eſt, tribus maxime argumentis perducti ſunt. Primum quod animadverſum erat in quibusdam ſenſibus, nempe in videndo et audiendo, non res ipſas ad corpus noſtrum accedere, ſed eſſe aliquid intermedium, idque inſenſibile, quod a re pulſum, ejus motum ad nos perferat. In quo genere ſatis erat perſpicuum, fieri non poſſe, ut in ſenſu id ipſum animo obverſaretur, quod ineſſet in re: quia ſi rei nos pellentis imago quaedam ſenſus eſſet, lucis notionem potius quam rei illuminatae per viſionem haberemus. Deinde quod in omni viſorum ex eadem re variatione inſigniori, etiam quaedam corporis aut inſtrumentorum ſenſus depravatio erat obſervata: unde orta ſuſpicio eſt,

ejus

ejus variationis cauſſam aliquam poſſe in nobismet ipſis eſſe. Poſtremo quod coeptum erat perſpici diſcrimen, quod inter ſenſum et intelligentiam, inter φαντασίαν et διάνοιαν, inter αἴσθησιν et νοῦν intercederet: quae quidem diſtinctio ab antiquioribus propoſita obſcurius atque inconſtantius, perſpicue et firmiter ab Anaxagora primo videtur eſſe comprehenſa.

Atque inde jam totius futurae de ſenſu doctrinae hoc fundamentum jactum eſt: ſenſum eſſe aliquid eſſectum in mente a rei externae actione, propagata ad animum per motum corporis. Rem eſſe id quod efficeret; nos eſſe ei rei velut materiem ſubjectos; utramque naturam ac vim, et rei et noſtram, concurrere ad φάντασμα gignendum, quod quoque tempore menti obverſaretur.

Ex hoc autem principio profecti Philoſophi, duas ierunt vias veri in animo noſtro inveniendi. Alii ad ſenſuum naturam diligentius explorandam ſe contulerunt, in iisque ſubtiliter veri notam et ſignum quaeſiverunt; alii neglectis et depoſitis ſenſibus, ad intelli-

 gen-

gendi facultatem et mentis in ſe collectae cogitationes contemplandas totos ſe converterunt. Itaque factum eſt, ut qui ſenſibus magis obſequerentur, hisque ſe traderent, ii pergerent in disputationibus ſuis multum loqui de rerum fluctuatione et motu, ut *Heraclitus* et Phyſicorum plerique: qui autem intelligibilia ſola ſcrutarentur, iidem de rerum unitate et immobilitate diſſererent, ut *Parmenides*, quem Plutarchus (*) ait primum νοητῶν genus in Philoſophiam induxiſſe. Nec vero id mirum fuit. Nam et qui expediendae veritatis rationem aliquam in ſenſu quaerebant, ii coacti erant ea omnia res appellare, quae ſenſibus ſubjecta eſſent, in quibus mutationis plurimum eſſe negari non poterat: et qui veri cognitionem contendebant eſſe mentis, non ſenſus, ii rerum (τῶυ 'αυτων) nomen et quaſi digni-

(*) Contra Colotem. p. m. 629. Παρμενίδης δὲ ἐπεὶ καὶ πάντων καὶ Σοκράτους ἔτι πρότερος συνεῖδεν, ὡς ἔχει τι δοξαςὸν ἡ Φύσις, ἔχει δὲ καὶ νοητὸν. — ἑκατέρα Φύσει ἀποδιδοὺς τὸ προσῆκον, εἰς μὲν τὴν τοῦ ἑνὸς καὶ ὄντος ἰδέαν, τίθεται τὸ νοητὸν, ὂν μὲν ὡς αἴδιον καὶ ἄφθαρτον, ἓν δὲ ὁμοιότητι πρὸς αὐτὸ, καὶ τῷ μὴ δέχεσθαι διαφορὰν προσαγορεύσας. κ. τ. λ.

dignitatem iis quae ſub ſenſum caderent, detrahebant, intelligibilibus ſolis tribuebant, in quibus omnia conſtantia et aeterna eſſent.

Atque illorum, quorum opera et ſtudium in excutiendo ſenſu verſabatur, ii qui ſimpliciſſimi erant, nec valde curioſi, in hac una ſententia adquieſcebant: ſenſus omnes eſſe effectiones in animo aptas ex rebus externis impellentibus et ex corpore impulſo: itaque nunquam non veras eſſe, quippe conſentientes cum cauſſis ſuis. Ex hoc fuit genere *Protagoras*, quem audivimus hanc ſententiam varie defendentem.

Subtiliores autem qui erant, ii obſervabant eſſe quaedam ſenſus cujusque propria: inter caeteros omnes veritate et conſtantia eminere tactum, qui et rem externam proxime nobiscum conjungeret, cum caeteri ſenſus vel remotae rei effluvia, vel propinquae particulas tantum quasdam perciperent: et ea nobis de rebus declararet, quae ne ab idea quidem corporis abeſſe poſſent, ſitum, figuram et motum. Quare concludebant, hunc ſenſum docere nos veram corporum naturam, caeteros

 eorum

eorum externas modo ſpecies oſtentare. Ita orta eſt Philoſophia illa corpuscularis, quae corporibus has ſolas qualitates relinquit, quae tangendo percipiuntur, motum et figuram et partium collocationem, caeteras omnes detrahit, negans colores et ſonos, duntaxat ut corporum qualitates, aliud aliquid eſſe praeter minutiſſimarum partium ſitus et motus. Atque hanc ſententiam iis recte tribui, qui atomos, ſive corporum elementa, praeter figuram et motum nihil habentia proprii, adhibuerunt ad mundi fabricam explicandam: auctor eſt Ariſtoteles, qui hanc ſententiam oppugnaturus, eam luculenter expoſuit (*). Atque haec ſenſuum reſtaurata quodammodo firmitas, credita ob teſtimonium tactus apertum, nec ulla

re

(*) Ariſt. de ſenſu et ſenſibili, Cap. IV. Δημόκριτος δὲ, καὶ οἱ πλεῖςοι τῶν Φυσιολόγων, ὅσοι λέγουσι περὶ αἰσθήσεως, ἀτοπώτατόν τι ποιοῦσι· πάντα γὰρ τὰ αἰσθητὰ ἁπτὰ ποιοῦσιν· — τοῖς κοινοῖς τῶν αἰσθήσεων, χρῶνται ὡς ἰδίοις. μέγεθος γὰρ καὶ σχῆμα καὶ τὸ τραχὺ καὶ τὸ λεῖον, ἔτι δὲ τὸ αμβλὺ καὶ τὸ ὀξὺ τὸ ἐν τοῖς ὄγκοις, κοινὰ τῶν αἰσθήσεών ἐςι· οἱ δὲ, τὰ ἴδια εἰς ταῦτα ἀνάγουσιν, ὥσπερ Δημόκριτος· τὸ γὰρ λευκὸν καὶ τὸ μέλαν, τὸ μὲν τραχύ φησιν εἶναι, τὸ δὲ λεῖον· εἰς δὲ τὰ σχήματα ἀνάγει τοὺς χυμούς.

re unquam elevatum, reduxit etiam alterum illud antiquorum, esse mentis omnem vim sensu comprehensam, omnemque cogitationem motum quendam a sua caussa natum.

Illa ipsa autem sententia de sensu, tripliciter erat divisa. Alii enim, ut *Democritus*, praeter communes istas corporum qualitates, quae tactu perciperentur, negabant aliud quidquam esse, quod sensus nobis de ea corporis textura et conformatione; unde ipsi essent orti, significarent, ideoque nihil eos de natura rerum, aut falsa nobis tradere. Alii, ut *Epicurus*, qui negarent ipsi quoque praeter modum et partium figuram ac compositionem rebus quidquam tribuendum esse, hoc addebant: re sensibili certo modo collocata, et certo a nobis intervallo distante, sensus posse de illis ipsis ejus qualitatibus nonnunquam verum testimonium perhibere. Hinc sensum, quatenus animi esset quaedam affectio, verum esse omnem et semper; quatenus animi de re externa judicium, tum demum, cum et rei sensae situs et distantia, et rei intermediae conditio, et sensus instrumentum ejusmodi esset, cujusmodi ad bene percipiendum requi-

 rere-

reretur. In qua re deerat hoc unum, quod non definiebatur, qualia omnino ſingula iſta eſſe deberent, ut ſenſibus fides certa haberi poſſet. Tertium genus erat eorum, qui praeter voluptatem et taedium, quibus commoveatur animus ad appetendum et averſandum, nihil ſenſibus percipi dicerent: quales erant *Cyrenaici* et *Sceptici*. Quorum illi hoc defendebant propter ſuum finem bonorum: hi, ut ſublata omni veritatis probabilitatisque dijudicatione, agendi tamen aliquam rationem relinquerent.

Reliqua eſt altera pars Philoſophorum, qui repudiato ſenſuum teſtimonio, ad intelligentiam et mentem ſe tanquam ad unum veritatis domicilium converterunt: quorum primus *Pythagoras*, et qui eum ſequuti ſunt *Eleatici*, obſcure de hac re loquuti ſunt, ſive conſilio, ſive quia quod parum perceperant, id plane ſatis eloqui non poſſent. Luculentiſſime hanc rationem *Plato* expoſuit. Erat autem neceſſe iis, qui ſenſibus veritatem detraherent, eamque in mentis notionibus quaererent, has omnimodo ab illis ſejunctas ponere. Quomodo enim fieri poſſet, ut notiones a ſenſibus abſtra-

ſtrahendo ductae, haberent veritatem aliquam propriam, nec ſenſuum veritati alligatam, nec horum errore labefactatam et convulſam? Ergo diſciplinae ſuae hoc addiderunt, ut dicerent, primum, ideas iſtas innatas eſſe animo, et ſenſum omnem antegreſſas; deinde his ideis aliquid eſſe ſubjectum, ex quo expreſſae ſint, eodem illud modo ſejunctum a rebus ſenſibilibus, quo ideae ipſae eſſent a ſenſibus. Nec enim idea, niſi rei alicujus, ulla eſt. Atqui res iſta ſi eſſet ex rebus corporeis, earumve pars aut qualitas cogitando abſtracta: neceſſe foret, ut ejus notio fuiſſet involuta et complicata in aliquo viſo, priusquam pura et evoluta mentem ingreſſa eſſet: id quod ejus ex ſenſu ortum argueret. Atque hinc natae ſunt celebres illae *Platonis* ideae, de quibus ipſe varie atque inconſtanter loquitur, ut ſolent, qui cogitando pervenerunt ad aliquid, quod propter nexum antegreſſae diſputationis defendere coacti, quale id ſit, aut quomodo conſiſtere queat, ipſi non ſatis intelligunt. Nec enim clare definit, cujus naturae illae, aut quo in loco ſint. Conjunctas cum divina natura eſſe intelligas, ſive inſint ei ut animo notiones, ſive ab eadem emanaverint: per-

ceptas autem eas ait eſſe a mente in eo ſtatu, qui hanc vitam ſit antegreſſus, in quo mens pura a materiae admiſſione et cum divina mente copulata, etiam puras et ſecretas a materie naturas illas intelligere potuerit; obſcuratas deinde conjunctione facta cum corpore in naſcendo, reſtaurari et excitari doctrina et inſtitutione.

Exortus eſt Ariſtoteles, qui utramque rationem quodammodo conjungeret. Nam primum ſenſuum impulſiones a mentis libera agitatione diſtinxit, ſic tamen, ut intelligentiam ſenſu tanquam fundamento niti ſumeret, idearum ortum, viſorum evolutione explicaret; deinde viſa haec (φαντασίας) non tantum ut effecta a rebus externis, ſed etiam ut earum imagines et effigies ſpectavit. Rejecit igitur illorum ſententiam, qui ſenſus omnes unius tactus judicio et dominio quaſi ſubjecerant: ipſe totidem ſumſit rerum corporearum qualitates inter ſe diverſas, quot ſunt et ſenſus diverſi, et eorum cujusque motiones diverſae. Nec tamen hoc tam abſurde ab ipſo, quam ab interpretibus ejus dictum eſt. Non enim ipſas qualitates ſenſu perceptas, quippe quas men-

tis proprias esse cum omnibus fere Philosophis antiquis agnoscebat, sed earum efficiendarum vim rebus attribuit. Quod maxime perspicuum est ex eo loco, ubi ait eos, qui rei nisi visae colorem non tribuerent, ex parte verum videre, ex parte falli. Valere enim hoc de eo colore, qui sit κατ' ἐνέργειαν: non valere de eo, qui sit κατὰ δύναμιν. Verba illius sunt haec: Ἀλλ' οἱ πρότερον φυσιόλογοι τοῦτο οὐ καλῶς ἔλεγον, οὐδὲν οἰόμενοι οὔτε λευκὸν, οὔτε μέλαν εἶναι ἄνευ ὄψεως· τῇ μὲν ἔλεγον ὀρθῶς, τῇ δ' οὐκ ὀρθῶς· διχῶς γὰρ λεγομένης τῆς αἰσθήσεως καὶ τοῦ αἰσθητοῦ, τῶν μὲν κατὰ δύναμιν, τῶν δὲ κατ' ἐνέργειαν· ἐπὶ τούτων μὲν συμβαίνει τὸ λεχθὲν, ἐπὶ δὲ τῶν ἑτέρων οὐ συμβαίνει. ἀλλ' ἐκεῖνοι ἁπλῶς ἔλεγον περὶ τῶν λεγομένων οὐχ ἁπλῶς. Quorum verborum sensus est hic: Coloris ipsam formam et speciem eam, quam animo oculorum visus objiciat, esse intra nos, atque adeo dilabi et interire, ubi visio cessarit: in rebus ipsis autem esse vim quae animo istam speciem imprimat, eamque vim esse permanentem. Hoc igitur disciplinae Aristoteleae proprium erat, quod cum alii ab una eademque caussa, scilicet a figura et motu, sensus omnes repeterent, neque ad sonos et colores, et odores, et sapores gignendos ullas novas et proprias vires in

in rebus externis requirerent: Ariſtoteles e contrario ſingulis ſenſuum affectionibus ſingulas in rebus externis qualitates aſſignabat.

Quod intelligitur, primum ex eo, quod Democritum et Atomorum defenſores, explicantes ſaporum colorumque varietates ex figurarum diverſitate, oppugnat, (L. de ſenſu et ſenſib. C. IV.) utens duplici argumento, et quod colorum ſaporumque alius alii oppoſitus ſit, ut nigro albus, dulci amarus, figurarum alia alii oppoſita non ſit, et quod figurarum genera infinita ſint, colorum ſaporumque differentiae finitae. Deinde in explicanda viſione caetera obſcuriora, hoc perſpicuum: Ariſtotelem rebus tribuere aliquid inſtar coloris, quod motu et figura nullo modo contineatur. Διαφανὲς enim ait (L. cit. C. III. et de anima C. VII.) in corpore eſſe id, quod corpus coloris capax ſive coloratum κατὰ δύναμιν efficiat, et accedente luce, coloris ἐνέργειαν gignat: hoc διαφανὲς vult intelligi ut naturam aliquam propriam, quae inſit rebus adſpectabilibus. Denique ſenſibiles rebus formas tribuit, ſenſumque ſtatuit eſſe id, quod aptum ſit ad recipiendas iſtas formas, ſed a materie ſeparatas,

cui

cui antea infuerint. Ergo ita ſenſerit neceſſe eſt: in rebus tot eſſe diverſas inter ſe formas, quot in nobis diverſae ſentiendi rationes: atque ut color a figura disjunctiſſimus ſit in ſentiendo, ita formam etiam eam a qua coloris ſenſus oriatur, prorſus aliam eſſe ab ea, quae figurae notionem imprimat.

Academicorum et Stoicorum in ortu viſorum explicando, parum receſſit ratio ab ea quae Ariſtotelis fuit: at in definiendo illorum cum rebus conſenſu, non tantum ab Ariſtotele, ſed etiam inter ſe ipſi diſſenſerunt. Stoici enim, primo ſenſum non modo aptum a re ut cauſſa, verum etiam ei ſimilem ut exemplari ſtatuebant: deinde viſorum putabant eſſe diſtinctionem, reſpondentem illam rerum ex quibus ortae eſſent, diverſitati, adeoque viſa orta a re vera et praeſenti, proprii aliquid habere, quod abeſſet a viſis ortis ab interna aliqua cauſſa; eaque viſa, in quibus illud proprium animadverteretur, percipi poſſe.

Hae diſciplinae per plura ſecula propagatae, neque auctae, neque immutatae ſunt. Nimirum percurſus erat fere totus opinionum

quae

quae in hanc rem caderent, orbis; exhausta omnis etiam suspicandi et fingendi materies.

Postquam Peripateticorum doctrina in scholas illata est, praeter alias ejus partes, etiam haec de sensibus perversa et depravata est ab hominibus rudibus litterarum, et lingua infantibus. Abusi enim ea sunt Scholastici, ad omnem caussarum explicationem evertendam, et ad tot excogitandas rerum qualitates, quot earum ad sensus variae species et motus allaberentur. Proximo demum seculo, reditum est ad Physicorum antiquorum doctrinam, eodem fere pristino illo itinere et cursu. *Cartesius* primus fuit, qui perspicue diceret, *) colores et sonos, et reliquas qualitates, non rerum proprietates, sed sensuum animique motus esse. Diductius hoc et explanatius docuit *Malebranchius*, cujus est praeclarum de inquirenda veritate opus: ubi toto libro primo id agit, ut demonstret, non ad rerum naturam cognoscendam, sed ad vitae nostrae incolumitatem et utilitates sensus nobis datos esse: ideo illos rerum non qualitates internas, sed rationes corpori nostro commodas aut adversas commonstrare. Qui quidem liber cum duobus qui sequun-

*) Meditat. VI.

quuntur, dignissimus est qui legatur. Praestant enim et subtili disputandi ratione, et singulari orationis perspicuitate.

Sententiam autem hanc maximopere confirmarunt inventa Optica Newtoniana. Quemadmodnm enim, ut diximus, rei mediae inter sensus instrumentum et rem sensibilem interjectae animadversio, homines prima deduxit ad suspicandam quandam dissimilitudinem inter φαντασίαν animo per sensum oblatam, et rei sensae naturam: ita illius intermediae rei natura et leges, quoad visionem penitius perspectae, etiam istam dissimilitudinem illustrarunt et confirmarunt. Nempe observavit Newtonus, colores oriri ex discissione radii luminosi in septem alios simpliciores, eosque coloratos, ex quibus veluti contextus esset. Rebus igitur ipsis colores nullo modo tribuendos esse, nisi quatenus minutissimarum partium suarum situ et motu essent aptae, ad radii luminosi hanc vel illam partem sive absorbendam, sive in spectatoris oculum remittendam.

His usus est *Lockius* ad suum de sensibus et intelligentia fabricandum σύςημα. Duas ille

qua-

qualitatum ſenſu perceptarum claſſes fecit: quarum altera complectitur quatuor omnium corporum communes, tangendo cognitas, *ſoliditatem*, *extenſionem*, *figuram*, *motum*, quas primarias ſive principes appellat, utpote quae caeterarum omnium cauſſa et quaſi fulcrum ſint: altera omnes caeteras comprehendit, ſecundarias dictas, ut colores, odores, ſapores, quae ex illis pro diverſitate inſtrumentorum ſenſus orirentur. Id quod plane cenſentit cum Democriti et Veterum doctrina.

Sequutus eſt *Berkeley*, Epiſcopus Cloynenſis, vir bonus, Philoſophus nimis ſubtilis, qui conſcripto Dialogo Hylae et Philonoi, etiam eas ipſas qualitates quas Lockius rebus reliquerat, iis detraxit. Etenim ſpecioſis argumentis probare conatus eſt, qualitates eas, quae tangendo perciperentur, ut motum et figuram, non magis rebus ipſis tribuendas eſſe, quam caeteras, ut ſonos et colores: mentis illas eſſe cogitantis, non corporis ullius affectiones. Qua re totam rerum corporearum naturam ſuſtulit. Quomodo enim comprehenderetur, aliquid eſſe, cujus qualitas nulla perciperetur? Quod igitur conſequens erat doctri-

nae

nae ſuae, negavit praeter mentes quidquam eſſe in rerum natura.

Contrariam ingreſſus eſt viam *Leibnitius*, qui fuit ingenio ad contemplanda univerſa rerum genera, quam ad res ipſas quae ſunt, tractandas propenſiori. Hic ergo Platonis rationem ſequutus eſt hactenus, ut ideas animo ineſſe quasdam diceret antiquiores omni ſenſu, quarum veritas non extrinſecus penderet, ſed ſua ipſius vi niteretur. Quod autem Plato ideis iſtis exemplaria quaedam ſubjecerat, naturam habentia ſejunctam a corporum animorumque natura, in eo Leibnitius diſſenſit, quippe tribuens illas animo, ſe naturamque ſuam contemplanti. Nec enim ideas innatas cum dicit, intelligit animo ineſſe re ipſa cogitationes et notitias, ſenſum omnem antegreſſas, ſed earum tantum materiem quaſi et ſubjectum. Cum enim tot notiones et προλήψεις veniant menti a rebus corporeis: mirum fore ait, ſi mentis ipſius natura ita eſſet ſterilis et infecunda ad gignendas quasdam notitias, ut omnes eſſent extrinſecus et a corporibus petendae. Quemadmodum igitur notio figurae vel motus habeat ſubjectum et exemplar aliquod

quod extra nos positum, perceptum sensuum ad externum illud intentione: ita notionem unitatis, durationis, existentiae habere subjectum et exemplar intra ipsum animum, quod percipiatur tum, cum animus vi sensuum motus coeperit ad se ipsum attendere. Quam Leibnitii sententiam esse, ex nullo libro clarius perspicias, quam qui ab eo contra Lokkii opus scriptus nuper a Raspio editus est. Aperte in Prolegomenis ideas ait a se innatas appellatas parum differre a notionibus iis, quas Lockius reflexionis esse dicat. Ita nempe appellat, quas animus aciem suam in se ipsum vertens, per reflexum quasi radium cernat. Ipsa Leibnitii verba audiamus. *Peut-être que notre Auteur ne s' éloignera pas entièrement de mon sentiment. Car il avoue, que les idées qui n'ont point leur Origine dans la sensation, viennent de la Réflexion. Or la Réflexion n'est autre chose qu'une attention à ce qui est en nous. Cela étant, peut-on nier, qu'il-y-ait beaucoup d'inné en nous, puisque nous sommes innés à nous même pour ainsi dire, et qu'il y ait en nous; Etre, Unité, Substance, Durée, Changement, Action, Perception et mille autres objects de nos idées intellectuelles.* Idem

agi-

agitur totis fere tribus capitibus primi libri, ut ſupervacaneum ſit, ſingula loca laudare.

Noviſſime acceſſit ad argumentum hoc tractandum ſcriptor Anglus, *Thomas Reid*, vir multae in rebus naturalibus doctrinae, multique acuminis: qui totus in eo eſt, ut philoſophandi hac in re ſubtilitatem, ad ſenſus communis ſimplicitatem revocet, rerumque corporearum veritatem ex naturae motu, cogente nos ut fidem ſenſibus habeamus, demonſtret. In ejus libro (*Eſſay on common ſenſe*) partes quaedam praeclarae, maxime in quibus de viſione quaeritur; ſumma operis fortaſſe excidit propoſito. Videtur enim illi accidiſſe, quod Chryſippo dicitur, ut praeſtantior fuerit in adverſariorum argumentis conquirendis, quam refellendis. Itaque pars ea, qua docet, eſſe in omni ſenſu ipſam animi cogitationem et φαντασίαν, diverſam a rei externae proprietate, cujus illa tanquam ſignificatio ſit, praeclare inſtructa eſt, multisque argumentis confirmata: in qua autem patefaciendum erat, qualis poſſet nobis eſſe naturae corporearum rerum cognitio, ſi ſenſus ab iis impreſſus, ab hac natura alienus eſſet: ea neſcio quomodo

illi

illi videtur e manibus elapſa. Quod enim rem expediri poſſe putat, ſi philoſophos, qui colores et ſonos in mente eſſe dicant, in rebus externis eſſe negent, arguat vim verborum uſumque loquendi evertere, quaſi haec ipſa vocabula non ad mentis in ſenſu affectionem, ſed ad rei diverſam ab illa proprietatem, eandemque ſenſus affecti cauſſam ſignificandam inventa ſint: in eo viri acumen requiro. Nam primum verba et formae loquendi fiunt ad ſenſus popularitatem, non ad naturae veritatem. Deinde fac vocabulum coloris vi ſua ſignificare id, quod ſit in re adſpectabili, quod oculum in videndo moveat certo modo; non ſignificare id, quod per hujus motus quaſi occaſionem animo offeratur: num ex eo efficiet, nos re vera notitiam et comprehenſionem habere iſtius proprietatis, quam coloris verbo vult innui? Nimirum omnia iſta vocabula, ſi ad rerum pertinent proprietates, nihil aliud perhibent, niſi ineſſe aliquid rebus, ignotum quale ſit, ſed cujus nos effecta experiamur. Quae quidem ſententia ea ipſa eſt, quam ſtudebat refellere.

VI.

VI.

UEBER

DIE ἀκαταληψία IN DER ALTEN PHILOSOPHIE.

Aus Garves Abhandlung de Nonnullis, quae pertinent ad Logicam Probabilium. Halae 1766. 4. S. 25. u. f. *)

Socrates, qui doctrinae initium a convincendis erroribus facere ſolebat; qui univerſam fere docendi methodum ad Sophiſtarum argutias et loquacitatem confutandam accommodabat; qui ſapientiam ſuam ajebat omnem eſſe in ignorantiae conſcientia ſitam; qui denique, ſi ex dialogis a Platone relictis judicium ferendum ſit, magis opinionum vanitates demolie-

*) Eine ſehr gedrängte und richtige Ueberſicht dieſes Lehrpuncts, die gewiſs wieder ins Andenken gebracht zu werden verdient.

batur et deſtruebat, quam veritatis firma fundamenta jaciebat: Socrates, inquam, ſparſit ſine dubio prima doctrinae Academicorum de incomprehenſibilibus ſemina. Cujus rei Ciceronem in primo Academicorum libro teſtem habemus.

Plato in eo dialogo, quem Theaetetum inſcripſit, cum Socrati, quid ſcientia eſſet, inquirenti Theaetetus eam in ſenſu poſitam eſſe dixiſſet, inducit Socratem proferentem, confirmantem deinde, et denique convincentem Protagorae de ea re ſententiam.

Quae nos ſentiremus, negabat Protagoras eſſe res nobis circumjectas, quibus ſenſuum inſtrumenta impellerentur, ſed ſenſum eſſe aliquid, quod ex conourſione et quaſi concuſſu rerum extra nos poſitarum, et inſtrumentorum ſenſus, eo ipſo temporis momento, quo utraque concurrerent, oriretur. Hinc fieri, ut viſa (h. e. imagines rerum per ſenſum in animo effictae) non ſolum rerum ſenſarum, quae in illo concurſu agerent, ſed etiam noſtri ipſorum, qui eam actionem reciperemus, mutatione variarentur. Ideoque dormientium et mente captorum et aegrotantium viſa eſſe

a

a visis caeterorum diversa. Omnes sensus esse veros, quia semper exactissime respondeant illi effectui, qui ex rerum externarum impellentium et ex corporis impulsi conditione oriatur. Ita deliros non minus recte percipere sentiendo quam sanos, quia utrorumque visa imagines sint mutationis in ipsis effectae a rebus externis pro corporis valetudine et pro animi ratione diversae, erroremque omnem in eo esse, quod putemus res nos ipsas sentire posse, id quod longe secus sit. Quia itaque nullum veri falsique sit discrimen, ideo sapientiam a stultitia non in eo differre, quod alter vera sentiat, alter falsa; sed quod alterius sensa animum cum delectatione suaviter afficiant, alterius animo molesta sint et injucunda; sapientiamque omnem positam esse in sententiarum non rectitudine, sed bonitate. Eum itaque esse sapientem, qui, cum ex conditione corporis et animi pariter atque ex rebus externis visa pendere intelligat, se ita instituat, ut impressiones ex rerum sensibilium concursu et pulsu ortae voluptate ipsum delectent. Quae quidem argumenta etsi convellit potius Socrates quam evellit: id tamen quod inde erat a Theaeteto conclusum, scientiam

 esse

in ſenſu, refellit, docens, primum reliquas manere aliquas rerum notitias, etiam ceſſante rerum externarum in ſenſus incurſione; deinde quanquam cuique organo ſenſorio ſit ſua propria a caeteris diverſa vis et natura, et alio modo afficiatur corpus in videndo, alio in audiendo etc. tamen eas quae ex his ſenſibus in animo effingantur cogitationes, ejusdem omnes generis eſſe, nec eodem modo unam ab altera, quo impreſſiones, ex quibus natae ſint, differre. Quibus ex rebus effici ait hoc, eſſe aliquam vim a ſenſibus diverſam, quae ab iſtis quaſi nuntiis allata colligat, ex iisque inter ſe comparatis notiones efficiat. Scientiam itaque eſſe in iis mentis operationibus, quae ſunt a ſenſibus ſejunctae, nec eorum auxilio indigent.

Platonis ſententia ab ejus ſucceſſoribus eadem tradita eſt, usque ad Arceſilam, quem Stoici proditorem philoſophiae ſuae appellant, quemque ad Ciceronem Lucullus ait obtrectantem Zenoni, dum hujus definitiones labefactare velit, conatum eſſe clariſſimis rebus tenebras inducere. Putant illum viri docti haud ita longe abfuiſſe a Scepticorum ratione.

Dif-

Difficillimum quidem certe eſt, Academiae mediae, quam Arceſilas condiderat, et novae, cujus caput et princeps erat Carneades, quae propriae et non utrique communes doctrinae fuerint exponere, niſi ſumto hoc, remiſiſſe aliquantulum ex illo Arceſilae rigore Carneadem, et probabilibus ſaltem locum reliquiſſe, quem ille abſtulerat. Praeclare nobiscum actum eſſet, ſi integri ad nos perveniſſent illi Ciceronis libri, quos ab Academia inſcripſit. Ex eorum reliquiis videor mihi **Academicorum** ſententias has collegiſſe.

Ἡ ἀκαταληψία eſt impoſſibilitas percipiendae, h. e. certe et evidenter cognoſcendae viſorum cum rebus ipſis convenientiae. Negabant aliquid percipi poſſe, h. e. certo cognoſci, eſſentne res externae tales, quales ſenſu cognoſceremus. Atque ut adverſariorum occupent quaſi argumenta et praecludant, negant, 1) ſe, ut res incomprehenſibiles eſſe credant, eodem quo Heraclitus argumento adduci, qui in rebus ipſis nihil veri eſſe, nihil conſtans, nihil idem, ſed omnia eſſe fluxa et motu perpetuo agitari ſtatuiſſet; nam eſſe ſane in rebus ipſis aliquam veritatem.

2) Quanquam visa nulla possint percipi, tamen aliqua visa vera esse, et res ipsas posse nonnunquam tales esse, quales se per sensum animo obtulissent.

3) De ista autem visorum veritate nos certos esse nunquam posse, propterea, quod ab ea imagine, quae orta essent ex re quadam extra nos existente, non posset ipso interno sensu internosci ea imago, quae non esset ex re quadam tali extra nos existente profecta; nec ejus sensus qui consentiat cum rei ipsius qualitate, proprium et peculiarem esse characterem, cujus beneficio visum, cui nulla res extra animum respondeat, agnoscere, atque adeo verum a falso discernere possimus. Ne itaque falsa colligerentur ex his principiis; neve ἀπραξίαν et ab omni actione suspensionem admittere viderentur, addebant alterum dogma de probabilitate. Quanquam enim visum verum a falso negarent posse quodam diverso sentiendi modo distingui, tamen et rerum circumstantium et aliorum visorum facta comparatione, posse ajebant probabile fieri, aliquod visum verum potius quam falsum esse. Atque haec probabilitatis momenta colligere ac ponderare, et actionem ad id in quo sit

maxi-

maxima vis probabilitatis, attemperare, id vero eſſe ſapientis. Ea de cauſſa ἀκατάληπτον diſtinxerunt ab ἀδήλῳ, h. e. incomprehenſibile ab incerto. Quorum alterum dicebant eſſe in omnibus viſis, alterum in quibusdam. Quod quid aliud eſt, quam nullam eſſe imaginem ſenſu excitatam, cujus cum re vel convenientiam vel diſcrepantiam ipſe ſentiendi modus declaret; multas autem eſſe, quarum veritas poſſit ex toto rerum ſtatu, caeterisque partim antegreſſis, partim ſequentibus viſis ratiocinando colligi. Quin etiam probabiliora alia aliis eſſe dicebant, diſcernebantque inter φαντασίαν ἀπερίσπαστον, cujus nec ipſius ratio, nec cum caeteris viſis conjunctio repugnet, et inter φαντασίαν ἐξωδευμένην, in qua non ſolum nulla ſit viſi, neque ſecum neque cum caeteris repugnantia, ſed in qua etiam rationem convenientiae omnium viſorum clare perſpicere liceat. Atque ex his leges quaedam oriebantur, quas in ratiocinanda viſorum probabilitate obſervandas ponebant, aſſignabantque quaſi ſingulis gravitatis et ponderis rerum gradibus ſingulos probabilitatis gradus, in quibus poſſet ſine temeritate acquieſci. Ex his omnibus natus eſt tertius locus de ἐποχῇ ſeu de aſſenſu in omni

re-

re ſuſtinendo. Eſt autem hic conſenſus, quem Graeci appellant συγκατάθεσιν, rei perceptae agnitio. Unde illum neceſſario tollebant, qui nihil percipi poſſe dicebant, quod inconſiderantiae ac temeritatis eſſet, ea tanquam certa apprehendere, quae tantummodo eſſent probabilia. — — Niſi quidam λογομαχίας amor inde ab ultimis Philoſophiae temporibus viguiſſet: vix credibile eſt, potuiſſe a Stoicis ex hoc de ἐποχῇ dogmate extorqueri omnium animi voluntatum et actionum ceſſationem. Nihil enim niſi quod a nobis perceptum ſit, nos poſſe appetere, nunquam eſt ab ipſis demonſtratum. Atque ut Plutarchus ait de Stoicorum ἐναντιώμασι, cupiditates moventur non perſuaſionis firmitate, et ſenſorum veritate, ſed voluptate illa qua eſt animus viſorum impreſſione affectus; nec appetimus aliquid, quia id certe ſcimus tale eſſe, quale animo concipimus, ſed quia id putamus boni aliquid et jucundi habere. Non ita in finibus conſtituendis, capiendis conſiliis exſequendisque Academicorum alia eſt ratio quam Stoicorum. Artes utrique quaerent, praeſidia parabunt, obſtacula removebunt. Sed Academici eadem omnia agentes, tamen rationes, quae ipſos

ad agendum impulerunt, non nisi probabiles sibi esse asservabunt, et in quibus rebus consilium non sustinuerunt, judicium tamen sustinebunt.

Facilius nunc opposita Academicis *Stoicorum* ratio quae sit, intelligetur, quam a Zenone acceptam Chrysippus contra impetum Academicorum maximopere communivit, quanquam fuerunt, qui illum in argumentis adversariorum colligendis quam convincendis feliciorem fuisse dicerent. Visum sive φαντασία ex eorum sententia est quaedam animi mutatio seu πάθος, per quam et conceptum ejus ipsius affectionis animi, et rei quae animum affecit, notitiam accipimus. Visa sunt καταληπτὰ ea, quae orta ex rei externae cujusdam in organa sensus impulsione non solum conveniunt cum re ipsa eodem modo, quo cum re efficta effigies, aut imago cerae impressa cum exscalpta in sigillo, verum etiam habent in se aliquod discrimen internum, ita ut ipso sensu et affectionis varietate possint a falsis distingui, seu, ut quemadmodum Cicero ait, nullum tale sit visum a vero, ut ejusdem modi a falso possit esse.

Ideae,

Ideae, quae ex visis formatae animo, etiam cessante sensu retinentur ἔννοιαι, et formae et genera ex earum pluribus collecta, προλήψεις vocantur. Scientia est summa et certissima rerum ex argumentis cognitio, quae est immutabilis et aeterna.

Haec de Stoicorum definitionibus. Transeamus ad eorum dogmata, quorum primum quasi principium, ad quod sustentandum caetera videntur paullatim ascita, est illud: nullum posse esse appetitum, qui non oriatur ex assensu. Ad quam doctrinam cum accederet illa altera, sapiente indignum esse assentiri iis quae non sint percepta, sequebatur, si nulla res possit percipi, nec assentiri ulli rei, nec appetere quidquam sapientem posse. Esse itaque omnino ajunt quaedam visa καταληπτὰ, sive comprehensibilia, quae quod veritatem suam sentiendi modo declarent, possint certo pro veris agnosci. Hinc etiam assensum sustinendum esse negant. Ex assensu, ubi sit visorum quaedam cum natura nostra convenientia, oriri ὁρμὰς, sive propensiones animi et aversiones. Fastigium hujus quasi aedificii esse illam, quae sit solius sapientis, scientiam, eamque solam,

ſolam, ei qui ad ipſam pervenerit, ad bene beateque vivendum poſſe ſufficere.

Antequam diſcedamus a praeceptis et inſtitutis veterum Philoſophorum enarrandis, duorum adhuc virorum digniſſima eſt doctrina quam commemoremus, qui a caeteris Philoſophorum ſcholis non alia plerumque de cauſſa male ſunt habiti, quam quia verum videbant; *Ariſtippi* ſcilicet, Cyrenaicorum principis, et qui eum in Phyſica et Dielectica ſecutus eſt, *Epicuri.*

Prior nos ſtatuit ſentiendo nihil aliud percipere niſi affectionem, quam res externa per ſenſuum inſtrumenta in animo effeciſſet. Itaque nihil hactenus certius eſſe cognitione ex ſenſibus orta, quia quo ipſo modo affectus ſit, et quae in ipſius animo contigiſſet mutatio, nemo ſui conſcius poſſet ignorare. Quodſi de rerum, quae animum iſto modo affeciſſent, natura et conditione judicium et ſenſibus eſſet ferendum tum omnia fore incerta, nihil perceptum. Sic utrum aliqua nunc in animo noſtro facta ſit impreſſio nec ne, eaque utrum jucunda ſit an moleſta, id eſſe καταληπτον; quid-

quidnam autem illud ſit, quod hunc voluptatis aut doloris ſenſum moverit, quaeque rerum nos ita afficientium ſit qualitas, id nos niſi conjectura aſſequi non poſſe. Eadem fere, quanquam a Veteribus paullo aliter nobis propoſita, Epicuri ſententia fuit. Narrant enim Epicurum negaſſe, ſenſum unquam fallere poſſe, ſed omnia viſa vera eſſe. Quod alieniſſimum a ratione videri poſſit, niſi adjiceretur ſtatim illud, eſſe ab Epicuro judicium de rebus videndo audiendove perceptis, ab ipſo audiendi videndique ſenſu diligenter diſtinctum, veritatemque et certitudinem in ſenſu tantum poſitam. Nam etiam tum, cum videmus, quae aut non ſunt, aut alio modo ſunt, quam quo videmus, tamen re vera ineſt in animo impreſſio et imago illarum rerum, eodemque modo ac ſi illae res eſſent, animus afficitur. Error autem eſt, quod ſolemus ex animi quacunque affectione ſtatim concludere, eam rem, quae nos alio tempore ſimiliter affecit, etiam nunc adeſſe.

VII. FORT-

VII.

FORTGESETZTES VERZEICHNIS

EINIGER

PHILOSOPHISCHEN

MODETHEMATUM.

III.

Ueber den Widerſpruch zwiſchen philoſophiſch - und theologiſch - Wahr.

Das Verhältniſs der Philoſophie zur Theologie in allen Zeitaltern zu beobachten, iſt eine der lehrreichſten Beſchäftigungen. In den Zeiten der Scholaſtik ſieht man anfänglich die Köpfe auf nichts angelegentlicher arbeiten, als wie ſie alle und jede (gewöhnlich falſch gefaſste) Lehrſätze und Glaubenspunkte der chriſtlichen Theologie durch dialectiſche Proceſſe ſtützen und erhalten konnten. Die

Kunst und Gewandtheit, womit sie diese Vereinigung stifteten, verdient Bewunderung, so abgeschmackt auch ihre Resultate waren. — Gleichwohl liessen sich bey aller angewandten Mühe manche Missstände zwischen beyden Wissenschaften nicht ganz heben oder verdecken, und man ward bald inne, dass gewisse philosophische Lehrsätze gewissen Glaubenspuncten der Offenbarungen entweder offenbar widersprachen oder doch nicht ganz zusagten. Die Philosophie gerieth also in Gefahr. Um sie zu schützen, erfanden ihre Freunde eine Ausflucht in der Behauptung, dass etwas in der Theologie wahr seyn könne, was in der Philosophie nicht wahr sey, und umgekehrt. Mit diesem Satze war eine Scheidewand zwischen Vernunft und Offenbarung gezogen, die Philosophie konnte und durfte lehren, was sie wollte, ohne von der Theologie etwas zu fürchten, aber auch, ohne der Theologie etwas zu nützen. Aber man hätte erwarten sollen, dass die ersten kräftigen Versuche, diese Behauptung zu beleuchten und zu widerlegen, einen bedeutenden Fortschritt der bessern Erkenntniss veranlasst haben müssten. In der That würde

ein

ein Mann, wie Taurellus mit ſeinem Triumphus Philoſophiae, unter günſtigern Zeitumſtänden groſse Veränderungen hervorgebracht haben. Es iſt nicht denkbar, behauptete dieſer ſcharfſinnige Mann, daſs Vernunft und Offenbarung, Philoſophie und Theologie, einander wirklich widerſprechen ſollten, aller Widerſpruch kann nur ſcheinbar ſeyn, und es iſt alſo Pflicht der Denker, ihn zu heben, und zu dem Ende beyde, die Philoſophie und Theologie, vornehmlich aber die erſtere, ſorgfältig zu unterſuchen, ihre Irrthümer zu verbeſſern, ihre Lücken zu ergänzen.

Was den Freunden der Philoſophie einen Rückzug verſchaffte, gab ihren Feinden Gelegenheit, ſie deſto kräftiger anzufallen. Kann etwas, ſagten ſie, in der Philoſophie wahr ſeyn, was in der Theologie nicht wahr iſt: ſo giebt es eine doppelte Wahrheit. (*) Da nun unter zwey Wahrheiten eine offenbar die gröſsere und beſſere ſeyn muſs, da ferner das

 gött-

(*) Zu vergleichen ſind über dieſen ganzen Punct Jac. Thomaſius de duplici veritate und Leibnitz de la Conformité de la foi avec la raiſon.

göttliche Licht vorzüglicher ist, als das menschliche; so folgt, dass die Philosophie hinter der Theologie durchaus zurückstehen muss. Sollen aber ja beyde Wahrheiten neben einander bestehen, so können sie es doch nur als Feinde, und die Philosophie wird also als Feindin der Theologie gefährlich und zu unterdrücken seyn.

Die Kirchengeschichte erzählt mehrere Streitigkeiten, die von diesen Ideen ausgiengen. Ich erinnere nur an die eine, deren Urheber Daniel Hofmann in Helmstädt war, und worüber die unten genannten Werke nachzusehen sind. (*) Seine und seiner Parthey Behauptung gieng gradehin darauf, dass alles, was theologisch wahr sey, philosophisch falsch seyn müsse und umgekehrt. Und hiermit war der Philosophie ein allgemeiner Krieg erklärt.

Ein Buch von einem aus dieser Parthey ist sowohl wegen seiner Seltenheit, als wegen ge-

(*) Arnolds Kirchen - und Ketzer - Geschichte Th. II. 17. 6. Caroli Memorab. Sec. XVII. p. 23. Mehrere führt noch Bruker an; Histor. crit. ph. T. IV. p. 779.

gewiſſer Aehnlichkeiten mit einigen der neueſten Streitſchriften merkwürdig. (*) Es iſt

Eccleſiae Metaphyſicae viſitatio, Concionibus metaphyſicalibus, exquiſitiſſimis discutiens praecipuos articulos metaphyſicos, et ad unguem demonſtrans, quo ejuratae impietatis, vanitatisque deploratae metaphyſici doctores delabantur, ad metaphyſicas ſpeculationes myſteria coelitus patefacta violentiſſime detorquendo ac exigendo metaphyſice. Inchoata a M. Wenceslao Schillingio Kethmanshuſano-Thuringio, Theol. Studioſo. Magdeburgi 1616. 8. 244. S.

Die übrigen Schriften dieſes Feindes der Philoſophie giebt Arnold l. c. an; die eben genannte iſt die wichtigſte, und hat das meiſte Geräuſch und die gefährlichſten Unruhen verurſacht.

Schon die Vorrede an den Magiſtrat zu Magdeburg iſt voll der heftigſten Ausfälle gegen

(*) S. Vogtii Catal. libr. rar. p. 64. Nachricht von einer Hall. Bibl. VII. B. S. 399. f. Bünemannus Catal. p. 118. Vergl. Bruker Hiſt. crit. To. IV. p. 783.

gen die Metaphyſiker. Ihr folgt ein lateiniſcher Spottgeſang nach einer kirchlichen Melodie· dann Prolegomena, über die Beſchaffenheit und die Grenzen der natürlichen Erkenntnis, insbeſondere der ſinnlichen. Hier wird von den fünf äuſern Sinnen, und von den innern gehandelt, zur Einleitung in das folgende, ſagt der Verfaſſer, in der That aber mehr zur Verwirrung des folgenden. Die metaphyſiſchen Predigten ſelbſt behandeln 9. Themata: de primo cognito, de entitate et unitate transcendentali, de Dei naturaliter cogitata ſimplicitate, de potentia obedientali, de vero, de bono appetendo, de ſummo bono communicando, de ſubſtantia et accidente, de neceſſitate et contingentia. Ich will eine der glimpflichſten im Auszuge überſetzt und nach dem Grundtext mittheilen:

Die fünfte: Von der Wahrheit.

Auf, auf! laſst uns rufen, laſst uns triumphiren, laſst uns allen metaphyſiſchen Dingen, die in der Puppe der Dingheit ſtecken, die metaphyſiſche Huldigung leiſten! Ihr alle, wahre Metaphyſiker, von einerley We-

ſen-

